MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

AUTHOR:

STOLPE, AUGUSTUS

TITLE:

ITERATIVORUM GRAECORUM...

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

[1849]

Master Negative #

92-80467-29

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88HD
Z7

Stolpe, Augustus, 1823-
Iterativorum graecorum vis ac natura ex usu Homeri atque Herodoti demonstrata. Dissertatio quam ... publice defendet auctor Augustus Stolpe ... Vratislaviae, Klein [1849]
53 p. 22 cm.


Thesis, Breslau, 1849.


394249

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2-28-92 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT







AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202











MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 10

ITERATIVORUM GRAECORUM VIS AC NATURA EX USU HOMERI ATQUE HERODOTI DEMONSTRATA.

DISSERTATIO

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA VIADRINA VRATISLAVIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XIV FEBR. ANNO MDCCCXLIX.

H. XI. L. Q. C.

CONTRA ADVERSARIOS:

J. KUSCHEL, DR. PHIL.

A. WENTZKE, CAND. PHIL.


F. PREUSCHOFF, STUD. PHIL.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

AUGUSTUS STOLPE,

SILESIUS.



VRATISLAVIAE

TYPIS EDUARDI KLEIN.

VIRO ILLUSTRISSIMO

EDUARDO WENTZELIO,
PHILOSOPHIAE DOCTORI, GYMNASII GLOGOVIENSIS CATHOLICI
DIRECTORI, AQUILAE RUBRAE EQUITI.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO ET GRATO ANIMO

DEDICAT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Iterativorum graecorum usus quo frequentior est in poesi Graecorum epica et in prosa oratione jonica, eo magis digna illa videntur esse, quorum vis ac natura penitus perspiciatur. Neque tamen haec res ita a grammaticis interpretibusque explorata et demonstrata esse videtur, ut sine dubitatione in eorum praeceptis acquiescere possimus. Varia enim ac nonnunquam paene diversa singulorum locorum conditione factum est, ut grammatici non idem omnes de communi et universa illarum formarum indole sentiant, sed earum significationem aut justo latiorem amplioremque definiant, aut nimis angustis finibus circumscribant. Quod si a neutris vera iterativorum natura percepta est, id inde evenit, quod aut singulorum locorum et verborum conditionem non accurate perscrutati sunt, atque id, quod omnium commune est et in quo differunt, subtiliter exquisiverunt, aut quod res, quae describuntur, e sua magis cogitandi ratione considerarunt, quam quae poetarum fuerit ingenii vis imaginandique potestas, diligenter reputaverunt. Idcirco non omnem me operam perditurum esse existimabam, si novo hanc rem examini subjicerem. Neque vero, ut prima et propria, qua illae verborum formae natae sunt, significatio cognosceretur, necesse esse videbatur, ut exemplorum quam maximus numerus e diversae aetatis vel generis scriptorum operibus studiose conquireretur, sed totam hanc quaestionem ad fontes et origines, quoad hoc quidem fieri potest, linguae graecae referendam, neque ultra antiquissima litterarum graecarum monumenta carmina Homerica, Iliadem et Odysseam dico, eam extendendam esse arbitrabar. Quae quamquam non uni poetae tota tribuenda, sed e pluribus diversorumque auctorum carminibus composita et quasi conglutinata esse, nunc ita, ut cuiquam vix ulla dubitatio relicta sit,

demonstratum est[1]), tamen non tam diversis temporibus condita sunt, ut in singulis usus linguae valde mutatus ac discrepans appareat. E juvenili enim ac vegeta illa populi graeci aetate eorum origo repetenda est, qua indoles linguae felicissime exculta, verborum tam varia tamque uber copia procreata est et cogitatorum affectuumque multifariis ac teneris discriminibus apta et congrua signa reperta sunt. Id igitur de illis carminibus certo praedicari posse videtur primam ac genuinam verborum significationem maxime integram minimeque debilitatam in iis superstitem esse. Sed quoniam iterativa, ut ad haec redeamus, non solius poesis epicae propria fuerunt, verum etiam in orationem pedestrem transierunt et apud Herodotum etiamnunc satis multa reperiuntur, non inutile vel injucundum esse existimabam, si, qua Homerus poeta et qua Herodotus historiarum scriptor ratione illis usus esset, compararetur. — Ac quum essent formae verborum in σκω desinentium iterativis simillimae, has quoque considerandas et num qua cognatio inter haec duo verborum genera intercederet eademve an diversa utriusque natura et significatio esset, indagandum esse arbitrabar.

[1]) Post longas ac varias virorum doctorum disceptationes haec res a Carolo Lachmanno ad liquidum perducta est, qui in libro: Betrachtungen über Homers Ilias von Karl Lachmann, mit Zusätzen von Moritz Haupt. Berolini a. 1847 edito e discrepantiis in Iliade investigatis septendecim minimum diversa carmina illa contineri demonstravit. Ante eum etiam G. Hermannus in dissertatione de interpolationibus Homeri ejus opusc. tom. V. inserta de hac re disputavit. Copiose eam tractavit W. Müller in libro: Homerische Vorschule, mit Einleitung und Anmerkungen von Baumgarten-Crusius. Leipzig 1836. Odysseam Baumgarten-Crusius quinquaginta annis post Iliadem ortam esse opinatur.

I.

EXTERNA ITERATIVORUM CONFORMATIO.

Nomen iterativorum imperfectorum et aoristorum formis in σκον exeuntibus a Buttmanno[1]) demum inditum est, qui frequentativam vel iterativam significationem iis ubique subesse ratus ab hac re nomen illud petiit. Veteres grammatici nunquam hac definitione utuntur, sed eas simpliciter formas jonico more auctas nuncupant.

In universum hae formae veteris jonicae et doricae dialecti propriae dicuntur, quamquam apud atticos quoque scriptores poetas certe hic illic leguntur, ut apud Sophoclem in Antig. 940 ταμιεύεσκε, 952 παύεσκε, in Trach. 259 ἔφασκε, in Elect. 9 φάσκειν, apud Aeschyl. in Pers. 652 βάσκε, apud Aristophanem in Pace 1035 ἐξαπάτασκον, in Equit. 1242 βινεσκόμην. Asciscunt autem jonicum illud augmentum, quod fit per insertionem litterarum σκ inter stirpem verbi et terminationem verbalem, imperfecta et aoristi verborum formae activae et mediae. Conferas de hac re veteris grammatici praecepta in Etymol. magn. sub voce ὁμοκλήσασκεν, Favorin. s. v. φράζεσκε, Fischeri ad Weller. II, p. 340, Thiersch. in gram. gr. § 210 Buttm. gram. ampl. § 94, 4, Math. gr. § 199, R. Kühner in gr. gr. § 110.

Formantur iterativa eo modo, ut pro imperfecti et aoristi II. terminatione ον–ομην syllabae σκον–σκομην, et in aoristis primis pro σα–σαμην syllabae σασκον–σασκομην substituantur.

In aoristo quidem primo facilis ubique est adjectio syllabae σκον vel σκομην, neque in imperfectis verborum purorum quidquam obstat, quominus simpliciter pro ον σκον ponatur. In verbis vero barytonis, quum intolerabilis consonantium concursus

[1]) Buttmannus in gramm. ampl. § 94,3.

esset, ε quamquam non semper inter radicem verbi et terminationem σκον-σκομην intermittebatur, ut ἔρδεσκε, πίνεσκε, ἔχεσκον etc. Atque etiam in verbis puris aliquod dilatandi et amplificandi studium inde apparet, quod Homerus, quoad fieri poterat, ante terminationem σκον vocales breves α, ε, si quidem verbi stirps in iis desinit, duplicatas exhibebat, quod quominus ubique faceret, lex metrica saepenumero impedimento fuit. Si enim verborum ea, quae vocalem antecedit, syllaba longa est, nusquam illam vocalem bis positam invenies, quia verbum inde cretici mensuram acciperet hexametri naturae obstrepentem. Legimus igitur apud Homerum πωλέσκετο, οἴχνεσκον, τάρβεσκον, μυθέσκοντο, ὤθεσκε, τρωπάσκετο, οὔτασκε πέρνασκε δάμνασκε. Si vero, quae praecedit vocalem, brevis syllaba est, Homerus, prouti metro conveniebat, nunc merae radici affixit terminationem σκον, nunc id, quod in plerisque fecit, vocalem bis exhibuit, ut in ποθέεσκε, φιλέεσκε, καλέεσκε, προθέεσκε, ὑποτρομέεσκον, ὀχέεσκε, κομέεσκε, φορέεσκε, βουκολέεσκε, ἰσχανάασκον, ναιετάασκε [1]), πεδάασκε, ἰχθυάασκε, περάασκε, γοάασκε etc. Semel vocalem antecedente brevi syllaba, posuit Homerus in paucissimis locis: καλέσκετο Il. XV, 338, ἔασκεν Il. II, 833, XI, 330, XIX, 295, et in hymn. in Aphrod. v. 210, 217 legitur γόασκε. — In iis verbis, in quibus terminationi verbali diphthongus aliqua aut omnino vocalis natura longa praemissa est, nunquam nisi ε vel α interposito syllabam σκον adjecit, id forte observans ne in una eademque nimis ponderosa syllaba vocem justo diutius morari ac persistere oporteat. Itaque fecit παυέσκετο, ἀριστεύεσκε, κλαίεσκε, ναίεσκε, δινεύεσκε, ἰαύεσκον, δεύεσκε, νεικείεσκε, σώεσκον. In iis verbis, quae in ιω exeunt, neque ι duplicavit, neque ad integram stirpem σκον adjecit, sed ubique ε inseruit, ut τιέσκετο, χρίεσκε, quae vero in υω cadunt, iis nunc interposuit ε, nunc id non fecit, ut in ἀλλύεσκον, ῥύσκευ. Verborum autem, quae in μι decurrunt, formas iterativas simpliciter eo modo effinxit, ut stirpi terminationem σκον adnecteret, ut ζωννύσκετο, ῥήγνυσκε, ἀνίεσκε, ἔσκε, δύσκεν, δόσκον, στάσκε, βάσκε (βίβασκε in hym. in Apoll. 133.)

[1]) In Apollon. Rhod. Argon. III, 977 legebatur olim forma ναιετάεσκον, quae a Brunckio deleta est. Eandem apud Q. Smyrn. codices in quinque locis exhibent. Conf. Spitzner. observ. in Quint. Smyrn. libr, II, v. 5, 6, (p. 215.)

Supersunt nonnulla verba, quorum conformatio communi consuetudini repugnans grammaticis difficultates exhibuit. — Verba κρύπτασκον in Jl. VIII, 272, ῥίπτασκον Jl. XV, 23, XXIII, 327, Od. VIII, 374, XI, 592 διαῤῥίπτασκεν Od. XIX, 575 [1], quae a plerisque nunc pro imperfectorum formis iterativis habentur, Buttmannus, quod α habent inter verbi stirpem et terminationem σκον intermissum, pro aoristorum formis accipienda esse opinatus est. At praeter id, quod ejusmodi aoristorum conformatio omni analogiae adversatur, ne illud quidem, quod in hymn. in Demet. 240 imperfecti forma reliquorum verborum more facta κρύπτεσκε legitur, Buttmanni opinionem stabilire ac probare potest. Ut enim is, qui carmen illud composuit, stili Homerici dicendique generis politi ac limati maxime compos fuerit, tamen in hac una re fortasse lapsus est aut etiam utramque formam ei pariter probatam fuisse censere possumus, quamquam Homerus eam, quae magis sonora ac fortis est, praetulerit. Tantum enim abfuit, ut poetae in his formis condendis certa quadam lege firmiter tenerentur, ut nunc pleniores fortioresque, nunc graciliores, ut cuique loco aptissimae viderentur, effingerent, quod vel eo confirmatur, quod, si verborum stirps in vocali desinit, terminationem σκον nunc simpliciter adjecerunt, nunc vocalem duplicem exhibuerunt, in aliis denique verbis ε interposuerunt. Formam ἀνασσείασκε, quae in hymn. in Apoll. Delph. 224 legitur [2]), Buttmannus [3]), quum ἀνασσείεσκε desideret, pro ἀνασείσασκεν positam esse arbitratur. Vulgo legebatur ἀνασσείσασκεν et e codice Mosqu. ἀνασσείασκεν restitutum est. Neque tamen hac re efficitur, utramque formam pariter aoristo vindicari posse, sed pro imperfecto ἀνασσείασκεν habendum esse alterum verbum τίνασσε, quod additum est, monere videtur. Neque magis probatur, quod Buttmannus formam ῥοίζασκε, quae apud Hesiod. in theog. 835 exstat, eadem fere ratione ex ῥοιζήσασκε factam esse opinatur. Passow. in Lex. s. v. ῥοιζέω eam pro imperfecto epico cum significatione aoristi accipit. — Forma denique ἀγνώσασκε in Od. XXIII. 95 a plerisque pro aoristo I. verbi ἀγνοέω

[1]) Ῥίπτασκε etiam apud Q. Smyrn. IV. 445 et ἀποκρύπτασκε in Hesiod. theog. v. 157 legitur.

[2]) Ilgenius hunc locum edidit ποντόθεν ἀνσείασκε.

[3]) Grammat. ampl. § 94, adn. 4.

habetur, ita ut ἀγνώσσασκε simplici σ scribendum et secundum analogiam formarum βώσαντι Jl. XII. 337, ἐπιβώσομαι Od. I, 578 II. 143 (cf. Mathi. gramm. § 51) contractum esse putandum sit. Quam quidem speciosissimam opinionem sunt quaedam, quae dubiam suspectamque reddant. In libris enim omnibus ἀγνώσσασκε duplici σ exaratum est, cujus causam quum non perspicerent, Thierschius ἀγνώσασκε scripsit, Buttmannns rem in medio relinquens hanc saltem scripturam ut maxime probabilem commendat. Deinde etiam veterem discrepantem lectionem ἀγνώσσεσκε exstare Buttmannus ipse confirmat, e qua, cujuscumque auctoris est, formam ἀγνώσσασκε pro imperfecto potius quam pro aoristo habitam atque habendam esse concluserim. Idcirco iis assentior, qui aliquam praesentis formam ἀγνώσσω accipiunt, quae quamquam apud Homerum non exstat, tamen Eustathium habet tutorem et in nonnullis posteriorum scriptorum locis reperitur. Adnotavit enim ille ad locum, de quo agimus, haecce: τὸ ἀγνώσσασκε λέξις καὶ αὐτὸ ἰδία ποιήσεως γινομένη ἐκ τοῦ γνῶ γνώσσω, ἐξ οὗ ἐνεστὼς γνώσσω, ὡς τὸ κνώσσω καὶ τὰ τοιαῦτα, καὶ παραγώγως γνωσσάσκω, ἐξ οὗ κατὰ στέρησιν τὸ ἀγνώσσασκεν. — In Musaei Her. et Leandr. 249 exstat ἀγνώσσεις, in Nonni Dionys. libr. I, v. 435 ἀγνώσσων, idemque in Coluth rapt. Helen. v. 8. Conferas, quae de hac et similibus formis Lobeckius ad Phryn. 607 disseruit. Simile verbum ἀγρώσσω est in Hom. Od. V. 53. — Ac denique loci et rei, quae describitur, natura et conditio imperfectum tuetur. Licet enim, quum in priori totius enuntiati membro, ὄψει δ' ἄλλοτε μέν μιν ἐνωπαδίως ἐσίδεσκεν aoristus positus sit, etiam in altero ἄλλοτε δ' ἀγνώσσασκε aoristum adhibendum fuisse aliquis dicat, tamen si rem subtiliter ponderamus, exquisitissime priori membro aoristum alteri imperfectum tributum esse intelligimus. Neque enim Penelopa Ulyssem adspiciens cognovit, sed nonnunquam quidem suborta ei opinio est ac si verum Ulyssem conspiceret, sed haec nunqnam diu durabat, et alteri celeriter cedebat, quae firmiter tenaciterque ejus animo inhaerebat. Itaque eam Penelopae opinionem, qua Ulyssem ignorabat, potiorem altera atque validiorem imperfecto, contrariam vero, nonnunquam subortam sed adspectu Ulyssis cito repressam aoristo commodissime notatam habemus. Similis temporum variatio in eadem membrorum structura adhibita

est in Il. XI. 566. Αἴας δ' ἄλλοτε μὲν μνησάσκετο θούριδος ἀλκῆς
– καὶ ἐρητύσασκε φάλαγγας — ὁτὲ δὲ τρωπάσκετο φεύγειν.

Iam corroboratio jonica verbis fere non nisi in forma activa et media tribuebatur; neque tamen certa causa, cur non etiam passiva forma eam accipere potuerit, ulla potest intelligi; immo sunt nonnulla, quae etiam passivi formas iterativas exstitisse arguant. Sic in Il. XV. 338 verbum καλέσκετο passiva significatione adhibitum est. Deinde etiam formam φάνεσκε, quae in Il. XI. 64, Od. XI, 586, XII, 241, 242 exstat, non habemus, unde derivare possimus, nisi ab aoristo pass. II ἐφάνην. Confer., quae de hac re Buttmannus in gramm. ampl. II, p. 245 et in adnot. ad Soph. Philoct. 1191 exposuit.

Formae iterativae modo indicato factae imperfectorum instar flectebantur et per omnes personas decurrisse videntur, quamquam nunc quidem tertia prae reliquis apud Homerum longa frequentissima est. — Primae personae haec habes exempla: εἴασκον in Il. V. 803, ἔσκον VII, 150, ἔχεσκον XIII, 257, χαίρεσκον XVIII, 295, ἔφασκον XIII, 100, ῥίπτασκον XV, 23, ὑφαίνεσκον, ἀλλύεσκον Od. XIX, 149, 150. Id, quod Thierschius in gramm. § 210 docet, aoristorum non superesse nisi numeri singularis secundam vel tertiam personam, nonnullis formis ex Homero petitis rejicitur; primae enim personae numeri singularis sunt: δόσκον Il. IX. 331, ἔλεσκον Od. XIV, 220; tertiae personae numeri pluralis sunt: στρέψασκον XVIII, 546, θρέξασκον Il. XVIII, 597, idemque XVIII, 603. Secundae aoristorum quidem personae nullum, imperfectorum vero haec exempla habeo: βουκολέεσκες Il. XXI. 448, ἔρδεσκες Od. XIII. 355, ἐθέλεσκες Il. IX. 486, ἔασκες Il. XIX, 295, ἔχεσκες Il. V. 472, ἔφασκες Il. XIX, 297, πελέσκεο Il. XXII, 433, ῥύσκευ Il. XXIV, 730. Primae ac secundae personae numeri pluralis hae solae formae exstant: νικάσκομεν in Od. XI. 512 et ἐφάσκετε in Od. XXII. 35. — Jam augmentum num his formis concedendum necne sit, infra quum de harum formarum apud Herodotum usu disseretur, ratio reddetur.

II.

GRAMMATICORUM DE ITERATIVORUM SIGNIFICATIONE SENTENTIAE.

De horum verborum significatione veteres grammatici nihil docent; e recentioribus Thierschius potissimum et Buttmannus, qui de hac re copiosius egerunt, nominandi sunt. Ille in grammat. § 210 haec habet: Nächst der Reduplikation — kommt eine andere Vermehrung am Schlusse der Stämme durch σκ zu betrachten, deren Bedeutung ursprünglich die der Wiederholung, Verstärkung, grösserer Kraft und längeren Anhaltens in vielen Formen erloschen ist etc. — Contra Buttmannus in gr. ampl. § 94, 3 ubique iis formis actionis iterationem vel frequentationem notatam esse dicit, atque ita eam significationem, quam Thierschius in secundarias fere notiones referre videtur, principem vel unicam esse confirmat, quamquam ipse non omnia pariter verba hac lege comprehendi posse concedere cogitur. Sed ejusmodi verbis nihil fere momenti tribuit, et ἔσκε, ναιετάασκε, φιλέεσκε et simil. non refragari sententiae suae dicit, sed esse ea tamquam documenta veteris non satis stabiliti et exculti sermonis habenda. Quodsi concedendum est in plerisque verbis iterativam significationem manifestam esse, illud Thierschii praeceptum nimis incertum et indefinitum esse intelligitur; Buttmanni vero sententia, quia in sat multa verba uon quadrat, justo angustioribus finibus circumscripta et coercita esse videtur, ita ut, quae vera et genuina significatio fuerit, a neutro satis demonstratum atque distinctum esse intelligas. In qua re exploranda, quum quaestio haec tota fere versetur, circumspiciendum primo est, num quid praeter ipsarum formarum usum se nobis offerat, unde illa res aliquid forte lucis accipiat. Neque tale quid frustra desideras. Est enim genus quoddam verborum, quod vel solo adspectu cognatum cum formis iterativis arbitrere, ea verba dico, quae syllaba σκω terminantur. Attamen, si grammaticos consulimus, etiam in hac re dissentientes eos habemus. Buttmannus enim, quod Thierschius l. l. certo contendit, non minus firmiter negat in gram. ampl. § 112 adn. 11 his verbis: dass übrigens die griechischen Iterativa auf σκον von diesen (verbis, quae in σκω exeunt) völlig verschieden sind, ist § 94, 3 ff, hinreichend dargethan. Gravissimum autem argumentum inde petiit, quod nullo verbo, quod in σκω desinit, actio iterata notetur. At hoc ipsum, quoniam praecepta ejus nec satis demonstrata de iterativorum significatione sententia nititur, debile atque infirmum est, nec magis reliqua, quibus sententiam suam fulcire et stabilire conatur, dubitatione vacant. Consueverunt autem grammatici verba, quae in σκω desinunt, inchoativorum nomine appellare, quamquam inchoativa notio in plerisque evanuerit, sic Buttmann l. l. § 119 not. 16, Math. § 221 II adn., qui tamen § 199, 1 etiam frequentativa illa verba nuncupat. Est igitur et haec res anceps et dubia eoque magis digna, quae accuratius expendatur. Neque enim, si eveniat, ut possit aliqua illius verborum generis et formarum iterativarum reperiri cognatio, quemquam arbitror dubitaturum, quin ex indagata illius verborum generis significatione aliquid emolumenti ad iterativorum notionem recte definiendam capi possit.

III.

FORMAE VERBORUM ITERATIVAE NUM SINT CUM VERBIS IN σκω DESINENTIBUS COGNATAE, QUAERITUR.

Fuit mos quidam veterum grammaticorum jure vituperatus et nunc obsoletus, ut formas verborum in σκον exeuntes fere semper a verbo syllaba σκω terminato derivarent, licet ipsum in usu non esset. Quod illos fecisse verisimile non est, si terminationem σκω et σκον diversae naturae esse judicassent. Quibus vero argumentis Buttmannus praeter significationis, quam obtinere putat, discrepantiam, affinitatem inter illas verborum formas non statuendam esse demonstrare conetur, accuratius perpendamus. Dicit autem in gramm. ampl. § 94, 4 adn.* eam rem, quod formarum iterativarum nusquam neque infinitivus neque conjunctivus etc. in usu exstet, pro argumento habendam esse, illas for-

mas non fuisse nisi narrationi directae destinatas[1]). At modos ille desiderat et requirit, qui omnino imperfecta deficiunt; etenim aoristi simulatque terminationem σκον acceperunt, in numerum fere imperfectorum transeunt, id, quod forma et significatio mutata probant. Cf. § VI. Quid, si haberemus infinitivum φευγέσκειν, num quemquam indicativi quoque formam φευγέσκω accipiendam esse non dicere putas? Jam si alicujus verbi in σκω exeuntis praesens exstat, imperfectum ejusdem verbi non inter iterativa, quae vulgo dicuntur[2], referendum est. Nihilo tamen minus in verbis, quae Buttmannus ex iterativorum numero non poterit expellere, supersunt nonnulla eorum modorum, quos ille desiderat, vestigia. Etenim forma βάσκε unde derivanda est, nisi a praesenti aliquo βάσκω, quod tamen neque apud Homerum neque apud recentiores scriptores invenitur. Rationem vero, qua imperativus ille βάσκε ab Homero in dictione βάσκ' ἴθι adhibitus est, ab usu et significatione iterativorum non abhorrere, vir doctissimus Ed. Wentzel in quaest. de dictione Homer. fasc. I, p. 18 adn. 5 sagacissime exposuit et demonstravit. Forma enim βάσκε in dictione βάσκ' ἴθι, quae sexies exstat, nunquam Homerus utitur, nisi quum Jupiter deorum nuntios Irin, Mercurium, Somnium alloquitur, quorum munus erat ut irent et Jovis jussa ad aliquem deferrent, qui vulgo ibant, vel ire consueverant. Atque hoc illorum commune ac proprium munus aliis locis diserte commemoratur, ut in Od. V. 29 Ἑρμείας — σὺ γὰρ αὖτε τὰ τ' ἄλλα περ ἄγγελός ἐσσι — Νύμφῃ εἰπεῖν etc. Il. XV. 144 Ἥρη — καλέσσατο — Ἶριν θ' ἥτε θεοῖσι — μετάγγελος ἀθανάτοισιν Il. II, 26 Somnium ipsum se Jovis nuntium appellat: Διὸς δέ τοι ἄγγελος εἰμί. Quum vero Jupiter alium quendam e deorum numero evocat, alio modo eum exhortatur, ut Il. XV, 221 Apollinem evocans: ἔρχεο νῦν, φίλε Φοῖβε, Il. XIX, 347 Minervam alloquens: ἀλλ' ἴθι etc. Jl. XX, 24.—Neque infinitivi exemplum frustra requirimus; in Jl. II, 234 Thersites Agamemnonem his verbis increpat: οὐ μὲν ἔοικεν ἀρχὸν ἐόντα κακῶν ἐπιβασκέμεν υἷας Ἀχαιῶν, non decet te, quum princeps sis, Achivorum filios in mala inducere.

[1]) Verba ejus haec sunt: Auch der Umstand, dass durchaus von keiner solchen Form wie λάβεσκον, ἕλεσκον etc jemals ein Infinitiv, Konjunctiv u. s w. vorkommt, zeigt, dass der Sprachgebrauch sie ausschliesslich für die direkte Erzählung bestimmt hatte.

[2]) Buttmann l. l. § 94, 3, 4.

Bene respondet forma ἐπιβασκέμεν verbis οὐ μὲν ἔοικεν, munus tuum utpote principis flagitat, ut Achivos semper ad bonas et prosperas res ducas. Ac verbum παρέβασκε eadem plane ratione atque iterativa adhibitum est in Jl. XI, 104 ὁ μὲν νόθος ἡνιόχευε Ἄντιφος αὖ παρέβασκε. Neque enim actio singularis verbo παρέβασκε notatur, sed talis, quae saepe repetita fuerit; nam in tota illa pugna, quae hoc loco describitur, alter aurigae alter pugnatoris munere fungebatur. Jam verbi φάσκω, cujus apud Homerum modo forma φάσκε vel ἔφασκε legitur, et infinitivus et participium apud atticos scriptores reperitur; praesens φάσκουσι, quod olim in Plat. Phaed. p. 113, 6 legebatur, ab Heindorfio ejectum est. Quid igitur Buttmannus? Habet enim formarum iterativarum et infinitivum et imperativum et participium. Denique eandem aut certe simillimam rem nunc verbo aliquo in σκω exeunte, nunc forma iterativa denotatam cernere licet, cujus rei exemplum est locus Od. IX, 366 coll. cum Jl. IX, 562. Ac nonnunquam in eadem enuntiatione verbum in σκω desinens et forma iterativa reperiuntur consociata, ut in Jl. VII, 139 Od. XVIII, 6[1]).

IV.

VERBORUM, QUAE IN σκω DESINUNT, SIGNIFICATIO EXPLORATUR.

Priusquam significationem verborum, quae in σκω exeunt, in examen vocemus, operae pretium esse videtur, augmentum illud σκ et illius verborum generis et formarum iterativarum commune diligentius perscrutari et, unde originem duxerit, indagare. — Scit autem dictionis Homericae peritus quisque eum multis modis verborum stirpes corroborasse, variisque quasi fulciminibus stabilivisse, neque id temere sibi concessisse. Etenim hic tamquam pictorem se praebuit et imagines e rerum veritate sen-

[1]) De verbis in σκω exeuntibus disserit Dr. Georg Curtius in libro: Die Bildung der Tempora und Modi im Griech. und Latein. sprachvergleichend dargestellt. Berlin 1846, p. 113. De illorum verborum cum iterativis cognatione dicit p. 114 „— und die Iterativformen auf σκον sind von einer kaum wegzuleugnenden Verwandtschaft.“

sibus oblatas neque vero mente receptas et quasi refictas pingere et describere consuevit, atque ita tenuissima rerum discrimina propriis electisque coloribus denotavit. Quod quum ad universum dicendi genus tum ad singulorum verborum formas pertinet, quae tam multifariae deprehenduntur, ut notionis discrimina nostris sensibus vix ubique assequi possimus. De qua re egregie disseruit Dr. Ed. Wentzel l. l. fasc. II. p. 3 (Progr. Glog. gymn. a. 1840): Ad tenuissima notionis cujusdam discrimina distinguenda et ad variam unius ejusdemque actionis naturam definiendam atque ad multiplices variosque affectus agentium subtiliter discernendos, haud raro una eademque vox ab acutissimo sono usque ad gravissimum recepta est ab Homero; e tenui radice enascebatur gracilis stirps, quae interno incremento corroborata multis ramis diffundebatur, qui et ipsi ramulos emittebant; stirps et rami non coelibes erant, sed aliis stirpibus et ramis maritabantur.“ Illa vero corroboratio in praesenti et imperfecto locum praecipuum habet; aoristi simplicem sibi et integram stirpem plerumque retinuerunt[1]). Ex quo patet imperfectis potissimum et praesentibus maxime varia posse notionis discrimina contineri. Id autem horum duorum temporum commune est, quod actionem imperfectam et nondum absolutam significant et aliquam diuturnitatis notionem continent, quae quidem et ipsa variis modis sese manifestare potest. Natura enim sua actio talis esse potest, ut pedetentim in lucem prodeat, aut per se brevis singulis momentis repetatur, aut etiam status alicujus continui adspectum praebeat. Hanc notionis varietatem Homerus, si quidem rerum conditioni hoc aptum videbatur, variis quoque formis distinguere consuevit, atque ita rerum imagines verborum forma fere repraesentavit. Etenim simulatque corroboratas et dilatatas formas audimus, oboriuntur animo nostro illae notiones, quae simplici forma posita sola aestimatione et consideratione earum rerum, quae circa positae sunt, effingi possunt. Quam vero quoque corroborationis modo actionis speciem et naturam potissimum significaverit Homerus,

---

[1]) Cf. C. Ch. Schneider: Akademische Vorlesungen über griech. Grammatik p. 26 et 27. Georg Curtius l. l. p. 145 et 166.

e cujusque verborum generis usu accurate perscrutando colligendum est. Itaque nunc verborum, quotquot apud Homerum exstant, in σκω exeuntium indolem et notionem e singulis locis eruamus[1]).

1) Γηράσκω, senesco, werde alt, altere. Significat autem γηράσκω rem, quae non certo quodam tempore absolvitur, sed continuo quodam successu procedit, singulisque indiciis paullatim prodeuntibus manifestatur. Jl. II. 663 Τληπόλεμος μήτρωα κατέκτα ἤδη γηράσκοντα Λικύμνιον, quem si Homerus γηρῶντα dixisset, etiam in extrema senectute versari eum putare possemus; quoniam vero γηράσκοντα dixit, excessisse quidem eum ex aetate virili et senectutem ingressum esse audimus, omnino in ea vitae aetate versari, in qua senectutis indicia in hominibus magis magisque aperta fiunt. Jl. XIV. 540 οὐδέ νυ τόν γε γηράσκοντα κομίζω, neque eum magis in dies progredientem in senectute foveo. Jl. XVII. 324 Περίφαντι ἐοικώς, ὅς οἱ παρὰ πατρὶ γέροντι κηρύσσων γήρασκε, discernuntur aetate Anchises senex, qui jam prope finem senectutis constitutus erat, et Periphas, qui, quamquam superata aetate virili tamen non ita ut ille aetate provectus erat. Cf. Od. IV, 210, VII, 120, XV, 409 ἀλλ'ὅτε γηράσκωσι πόλιν κατὰ φῦλ' ἀνθρώπων ἐλθὼν ἀργυρότοξος 'Απόλλων–οἷς ἀγανοῖς βελέεσσιν ἐποιχόμενος κατέπεφνεν, quando homines in urbe senescunt, Apollo gratis suis telis eos interimit. Neque in hoc loco abscondita est vera verbi γηράσκειν significatio. Tamquam laus enim et eximia virtus insulae Syriae id praedicatur, quod homines non ad extremam senectutem provecti et omnibus molestiis, quas comites senectus habet, obruti ac depressi lenta quasi morte

---

[1]) Francisci Wüllneri de horum verborum origine sententiam affere liceat, qui in libro „Ursprung und Urbedeutung der sprachlichen Formen, Münster 1831“ § 26 et 27 de inchoativis latinis, de verbis graecis in σκω desinentibus et de iterativis disputans illud c (g) et κ in syllabis sco, σκω, σκον pro radice aliqua habendum esse opinatur, quae „ire“ significet et in linguae, cui nomen Sanscrit est, vocula gâ, in Britannorum go et in Germanorum gehen (ge-en) superstes sit. Qua ratione ductus verbum maturesco (matur-es-c-o) interpretatur per „reif-zu sein-geh'-ich, reif-sein-werd'-ich, reif-zu sein-beginne-ich;“ iterativum ἔσκε per „sein-ging-er, sein-that-er“, et φέρεσκε per „im Tragen-sein-ging-er, tragen-ging-er“ simul adjiciens: „eine ähnliche Verstärkung von ἔφερε, wie „er ging spazieren“ von spazierte“. —

obeunt, sed in prima vel media senectute versantes, ingravescente virium defectu, cito vita defunguntur.

2. Θνήσκω, cujus radix θαν adjecta syllaba σκω in θανέσκω et per metathesin litterae ν in θναέσκω θνήσκω transiit, est morior, proprie in moriendo versor (im Sterben liegen) vel mortem paullatim obire. Plerumque enim non uno momento quis vitam amittit, sed singuli artus ac membra pedetentim morte corripiuntur (sie sterben ab) Il. I, 243 τότε δ'οὔ τι δυνήσεαι — χραισμεῖν, εὖτ' ἂν πολλοὶ ὑφ' Ἕκτορος, ἀνδροφόνοιο θνήσκοντες πίπτωσι, tum non poteris quidquam iis prodesse, quum multi cadent morientes ab Hectore homicida; qui simulatque Hectoris hasta transfixi sunt, non statim vita defunguntur, sed pedetentim sanguine e vulneribus profluente animam exhalant. Il. I. 383 οἱ δέ νυ λαοὶ θνῆσκον ἐπασσύτεροι. Mortis species, quae in Achivorum castris passim atque in tanta hominum multitudine iterum iterumque sese offerebat, bene describitur. Simili modo comparatus est locus Il. I, 56. Il. XXIV 743 οὐ γάρ μοι θνήσκων λεχέων ἐκ χεῖρας ὄρεξας neque moriens mihi e lecto manus porrexisti.

3. 'Αλδήσκω, quod notione sua contrarium fere est verbi θνήσκω, eandem atque hoc rei, quam significat, speciem imaginemque praebet. Est autem ἀλδήσκω apud Homerum saltem, augeor, cresco, ut Il. XXIII 599 ὡς εἴ τε περὶ σταχύεσσιν ἐέρση ληίου ἀλδήσκοντος. Singularum spicarum virescentium majusque semper incrementum capientium conditio et adspectus terminatione σκω denotari videntur.

4. 'Ηλάσκω ab ἀλάομαι ut βάσκω a βάω factum proprie significat vagari, circumvolitare, et tum potissimum ab Homero usurpatum esse videtur, ubi genus animalium notatur, quorum vagari et volitare proprium ac naturale est, quae vulgo, plerumque vagantur vel vagari solent.[1]) Sic Il. II 470 ἠΰτε μυιάων ἁδινάων ἔθνεα πολλά, αἵ τε κατὰ σταθμὸν ποιμνήιον ἠλάσκουσιν ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, velut frequentes muscarum turbae, quae tempore verno per stabulum pastorale vagantur. Il. XIII 104. οἳ (Τρῶες) τὸ πάρος περ φυζακινῇς ἐλάφοισιν ἐοίκεσαν, αἵ τε καθ' ὕλην θώων παρδαλίων τε λύκων τ' ἤια πέλονται αὔτως ἠλάσκουσαι ἀνάλκιδες, qui antea cervis timidis similes erant, quae luporum pardaliumque praeda fiunt temere vagantes.

5. 'Αλύσκω proprie est huc illuc se vertere, ab una re ad aliam declinare eoque aliquam rem effugere et evitare studere. Jam qui aliquid cum studio facit, is rem iterum iterumque ac variis modis tentat. Od. XXII 363 Μέδων πεπτηὼς γὰρ ἔκειτο ὑπὸ θρόνον, ἀμφὶ δὲ δέρμα ἕστο βοὸς νεόδαρτον, ἀλύσκων Κῆρα μέλαιναν, nigrum fatum evitaturus'; atque id non solum eo, quod sub sella sese occulebat, sed etiam pelle sibi injecta consequi conabatur. Jam objiciat forte quispiam, hoc verbum huc non fuisse referendum, quia κ ad verbi stirpem pertineat, quod e futuro ἀλύξομαι et aoristo ἤλυξα appareat. — Quod quomodo se habeat, infra exponetur, quum de verbo τιτύσκομαι disseretur.

6) 'Εΐσκω vel ἴσκω tritissimum apud Homerum et ab adjectivo ἔϊσος vel ἶσος derivandum, varias quidem sed ex eodem fonte profectas significationes prae se fert. Prima fuit: similem facio, ut Od. IV 247 ἄλλῳ δ'αὐτὸν φωτὶ κατακρύπτων ἤϊσκεν δέκτῃ se occultans mendico similem se fecit. Jam si unam rem alteri similem reddimus, id eo fit, ut comparata una cum altera, id, quo maxime differunt, quantum fieri potest, dematur atque ita ambae exaequentur. Res igitur plerumque non unius momenti est, sed talis, quae comparatione iterum iterumque facta variis tentaminibus sit efficienda. — Atque propterea verbum ἐΐσκω ipsam comparandi notionem sibi ascivit. Neque, si quem alii similem putamus, id ullo potest alio modo fieri, quam utriusque adspectu et virtutibus strenue collatis. Il. V. 181. Τυδεΐδῃ μιν ἔγωγε δαΐφρονι πάντα ἐΐσκω, ἀσπίδι γιγνώσκων αὐλώπιδί τε τρυφαλείῃ ἵππους τ' εἰσορόων. Hoc loco indoles verbi ἐΐσκω bene notatur adjecta voce πάντα et enuntiatis, quae deinceps sequuntur, participio prolatis, cf. Il. XXIV. 371, III. 197, Od, VI. 152. Denique accepit verbum ἐΐσκω significationem: opinari, putare. E singulis enim indiciis, qualia se sensibus vulgo offerunt, comparatis, veri quidem aliqua species et opinio enasci potest, neque vero certi quidquam ea nobis persuadere possunt, nisi cuncta testimonia comparata reique naturam ipsam perspectam habemus. Od. IV. 148 οὕτω νῦν καὶ ἐγὼ νοέω, γύναι, ὡς σὺ ἐΐσκεις sic nunc et ego sentio, uxor, ut tu conjectas. Eodem modo atque loci allati reliqui fere omnes, qui praeterea apud Homerum le-

[1]) Dr. Ed. Wentzel l. l. fasc. II. p. 27.

guntur, comparati sunt, ita ut iis facile possim citandis supersedere. Restant duo loci Od. XIX. 203, XXII. 31, in quibus formae ἴσκεν significatio loquendi, dicendi, tribuenda esse videtur, qua quidem reperitur praedita apud Apollon. Rhod. et alios recentiores poetas. At in priori loco Eustathius et scholiastae falso illam formam per ἔλεγεν explicari monent, alter vero totus suspectus et spurius habetur. Et quum prorsus aliena esse significatio dicendi a primaria verbi ἴσκω notione videatur, Buttmannus in priori loco ἴσπεν (εἰπεῖν) scribendum esse ratus est, quam sententiam copiose exposuit in Lexilog. II. p. 83 seq.[1])

7. Βόσκω[2]), pasco, proprie est pecudes ad pascua agere, a praestantiori pecudum genere, a bobus desumtum; deinde in universum est pascere sive alere, non solum de pecudibus verum etiam de aliis animalibus, de avibus et bestiis in mari habitantibus ac de ipso ventre adhibitum. Atque ipsum pascere res est, quae non cito praeterlabitur, sed longiore tempore conspicitur; neque vices in pascendo desunt. Bonus enim pastor pecora non uno loco continet, verum ea loca iis permittit adire, quae copiosissimum jucundissimumque pabulum praebent. In multis locis hoc verbum iterativorum instar adhibitum est. Il. XV. 548 ὁ δ' ὄφρα μὲν εἰλίποδας βοῦς βόσκ' ἐν Περκώτῃ δηίων απονόσφιν ἐόντων per illud tempus, ubi hostes aberant, Melanippus Hectoris frater pecudes pascebat, vel pascere consueverat; cf. Od. IX. 188, ubi in simili re iterativum ποιμαίνεσκεν adhibitum est. Od. XII. 97, καὶ εἴ ποθι μεῖζον ἕλῃσιν κῆτος, ἃ μύρια βόσκει ἀγάστονος Ἀμφιτρίτη, quae innumerabilia alit Amphitrite i. e. quibus alimenta praebet. Est ea talis res, quae mari ut proprium aliquid ac naturale convenit. Similis locus est in Od. XI. 365. — Od. XVIII. 364 ὄφρ' ἂν ἔχῃς βόσκειν σὴν γαστέρ' ἄναλτον, ut habeas, quo ventrem possis insatiabilem pascere. Plures hujus verbi locos reperies in Lex. Dunc. sub voce βόω–βόσκω. —

[1]) Fornam ἴσκε cum significatione „dixit" defendit G. Curtius l. l. p. 105 eamque ex Fίσκε ortam esse existimat.

[2]) G. Curtius l. l. p. 113 verbis in σκω desinentibus inchoativam aut causativam significationem tribuens tamen nonnullis vel hanc denegat p. 114 haec dicens: — so findet sich denn doch eine bedeutende Zahl von Verben, in denen die Verstärkung σκ ein blosses lautliches Element ist, z. B. φάσκω, βόσκω, ἀναλίσκω, θρώσκω, τιτρώσκω. Quae sententia locorum Homericorum saltem conditione confirmari non videtur.

8. Θρώσκω plerumque non de singulari quodam saltu facto abhibetur, sed rei vel personae iterum iterumque salientis imaginem vel consuetudinem exhibet. Il. XIII. 589 ὡς δ'ὅτ' ἀπὸ πλατέος πτυόφιν κατ' ἀλωὴν θρώσκωσιν κύαμοι μελανόχροες ἢ ἐρέβινθοι πνοιῇ ὕπο λιγυρῇ καὶ λικμητῆρος ἐρωῇ, velut quum a lato ventilabro fabae nigrae vel cicera magnam per aream flatu stridulo et ventilatoris impetu subsultant. In comparationem autem ejusmodi res solent vocari, quae quum eodem modo semper vel vulgo fiant, omnibus notae sunt. Il. XV. 684 ὁ δ' ἔμπεδον ἀσφαλὲς αἰεὶ θρώσκων ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλον ἀμείβεται, sermo est de equite, qui quatuor equos junctos habet et in medio cursu ex alio in alium transsilit. Il. XV. 470 iterativa significatio adjecto adverbio θαμὰ diserte indicatur: θαμὰ θρώσκοντας ὀιστούς. Il. XXI. 126 adhibetur de pisce, cujus uti omnium piscium naturalis ac propria per undas subsultandi easque celeriter perlustrandi consuetudo verbo θρώσκειν notata esse videtur. Il. XVI. 748 νηὸς ἀποθρώσκων, εἰ καὶ δυσπέμφελος εἴη, navi desiliens, etiamsi mare aestuosum esset. Irridet Patroclus Cebrioni, qui ejus hasta transfixus velociter de curru erat delapsus, eumque cum urinatore comparat perito et alacri, qui, quum saepe ostrea quaeritaturus in mare sese dejicere consuerit, vel aestuante aequore cupide et minime haesitans in fluctus e navi prosilire solet. Od. I. 58 αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς ἱέμενος καὶ κάπνον ἀποθρώσκοντα νοῆσαι ἧς γαίης, θανέειν ἱμείρεται, at Ulysses vel fumum e terra sua prosilientem cernere gestiens, mori desiderat. Videtur autem fumi hic illic nunc tenuioribus nunc crassioribus nubibus surgentis et per aërem sese volutantis species verbo ἀποθρώσκειν significari. Il. XV. 314 ὦρτο δ'αὐτὴ ὀξεῖ' ἀμφοτέρωθεν, ἀπὸ νευρῆφι δ'ὀιστοὶ θρῶσκον, clamor autem utrinque vehemens oriebatur et a nervis arcuum sagittae prosiliebant i. e. a multis utriusque partis sagittariis frequentes sagittae emittebantur. Il. IV. 177 καί κέ τις ὧδ' ἐρέει Τρώων ὑπερηνορεόντων τύμβῳ ἐπιθρώσκων Μενελάου κυδαλίμοιο. Hoc loco non de uno ac certo quodam homine, sed de quolibet, quemcunque e Trojanis sumere vis, sermo est, et τίς habet collectivam vim, quispiam, der und jener, mancher. Similis locus est Il. VIII. 515; conferas dictionem ὧδε δέ τις εἴπεσκεν, cujus ratio infra exponetur. Il. X. 95 κραδίη δέ μοι ἔξω στηθέων ἐκθρώσκει, τρομέει δ' ὑπὸ φαίδιμα γυῖα, cor mihi e pectore exsilit

i. e. adeo metus ac sollicitudinis ictus et impetus cor meum pungunt ac stimulant, ut ipsum e pectore paene exsilire velle videatur. Apte respondet verbum ὑποτρομέει, quod statum ejus, qui tremit, continuum notat; ita ut verbo ἐκθρώσκει iteratos fere exsiliendi conatus describi arbitrere. Il. II. 702 τὸν (Πρωτεσίλαον) δ' ἔκτανε Δάρδανος ἀνὴρ νηὸς ἀποθρώσκοντα πολὺ πρώτιστον Ἀχαιῶν, hunc ex omnibus Achivis (qui et ipsi in terram prosiliebant) longe primum navi desilientem homo Dardanus percussit.

9. Προβλώσκω, compositum verbi βλώσκω, quod apud Homerum non exstat, frequentatam prodeundi actionem indicat neque ab Homero adhibitum est, nisi in ancillarum notanda consuetudine, quae, quum domestica negotia demandata habeant, frequenter e cubiculis prodeunt et in ea foris revertuntur: Od. XIX. 25 δμωὰς δ' οὐκ εἴας προβλωσκέμεν, ancillas enim e cubiculis exire vetuisti. Dum enim Telemachus cum patre ea, quae ad procorum necem, quam propositam habebant, utilia esse videbantur, adparabat, ancillas, ne quid ab iis animadversum proderetur, per aedes, quod antea facere consueverant, cursitare nolebat, ideoque, ne qua prodiret, omnes cubiculis inclusas retineri jusserat. Eadem ratio reliquorum locorum est. Od. XXI. 239, 385.

10. Εὑρίσκω semel ab Homero adhibitum in Od. XIX. 158, est aliquid quaeritando et circumspiciendo invenire. Οὔτε τιν' ἄλλην μῆτιν ἔθ' εὑρίσκω dicit Penelope, quum omnes dolos et artes periclitata nullam jam excogitaret et inveniret fallaciam, qua procis deceptis diutius etiam proferre nuptias posset.

11. Ἐπαυρίσκομαι, cujus praesens apud Homerum in Iliade XIII. 732 legitur. Significat autem commodum vel damnum ex aliqua re percipere, frui aliqua re: ἄλλῳ δ' ἐν στήθεσσι τιθεῖ νόον εὐρύοπα Ζεὺς ἐσθλόν, τοῦ δέ τε πολλοὶ ἐπαυρίσκοντ' ἄνθρωποι, aliis autem in pectoribus posuit Jupiter animum fortem ac prudentem, eoque multi fruuntur homines, i. e. quo qui praediti sunt, magnum inde commodum percipiunt.

12. Ἱλάσκομαι placo et propitium reddo, actionem indicat, quae vel continuo quodam studio fit, vel aliis rebus simul agendis efficitur, velut sacris faciendis, precibus, allocutionibus suavibus etc. Il. I. 386 αὐτίκ' ἐγὼ πρῶτος κελόμην θεὸν ἱλάσκεσθαι, quod, quomodo faciendum esset, Calchas ante indicaverat cf. v. 98 —

Il. I. 472 οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο, hi per totum diem cantu deum placabant. Il. VI. 380, ἔνθα περ ἄλλαι Τρωαὶ ἐυπλόκαμοι δεινὴν θεὸν ἱλάσκονται, ubi aliae e mulieribus Trojanis valde reverendam deam placare student.

13. Ἀπαφίσκω, quod apud Homerum semel in Od. XI. 217 exstat: οὔτι σε Περσεφόνεια, Διὸς θυγάτηρ, ἀπαφίσκει, non te illudit Persephone. Putabat enim Ulysses a Persephona se decipi neque veram matris animam, sed fictam modo et simulatam imaginem ante oculos sibi obversari atque hoc ex eo apparere, quod illa, quum ter eam manibus comprehendere conatus esset, ter quoque umbrae similis aufugisset, cf. v. 215 seq.

14. Ἀραρίσκω est aliquam rem cum alia ita conjungere, ut huic apta sit, itaque omnino aptare, applicare aliquid alicui rei. Semel imperfectum apud Homerum in Od. XIV. 23 exstat: αὐτὸς δ' ἀμφὶ πόδεσσιν ἑοῖς ἀράρισκε πέδιλα, τάμνων δέρμα βόειον, εὐχροές, ipse autem pedibus suis crepidas applicabat, quae quum loris alligandae essent, major diligentia adhibenda erat, ne laxius pressiusve ligatae incedenti molestiam crearent.

15. Γιγνώσκω,[1]) cognosco, cujus est ea indoles, ut non de eo adhibeatur, qui alicujus rei cognitionem habeat ab omni parte ac plane perfectam, sed de eo dicatur, qui in eo est, ut scientiam rei ex indiciis et adspectu, quem praebet, consequatur, erkennen,

---

[1]) De reduplicationis vi Mehlhornius in gram. gr § 75. in universum haec dicit: Den Anadiplasiasmus erfuhren Verba und Nomina, theils um überhaupt einen stärkeren Wortkörper zu erhalten, theils um die Empfindung für Auge und Ohr malerischer darzustellen. Copiose probabilissimeque de hac difficili et intricata re disseruit G. Curtius in libro laud. variis locis. P. 117 et 153 de repuplicatione, quae in praesentibus exstat; p. 150 seqq. de ea, quae in aoristis reperitur, ubi (p. 153) de universa reduplicationis vi praeter alia haec habet: In der Wortbildung kommt die Reduplication als bedeutungsvolles Sprachmittel mehrfach zur Anwendung. Was ist natürlicher und einfacher, als durch die Wiederholung der anlautenden Sylbe der Bedeutung des Verbum eine gewisse Stärke zu verleihen? P. 171 dicit: Wir sahen, dass die Verdoppelung bald intensive, bald imitative, bald kausative und desiderative Geltung hat.“ Attamen p. 162 ipse confitetur in dimidio aoristorum numero nullam se reduplicationis vim reperisse. P. 171 seqq. de perfecti reduplicatione disputat. Sed quoniam in multis verbis, ut in τίθημι, ἵστημι, δίδωμι illa reduplicationis vis prorsus evanuit, veri non dissimile est, nonnunquam, ut verborum forma significa-

kennen lernen. Il. V. 815 γιγνώσκω σε, θεὰ θύγατερ Διὸς αἰγιόχοιο, nosco te, dea. Quamquam virilem ac pugnatoris habitum induerat, tamen Diomedes ex aliis indiciis conjectabat opinionemque capiebat, eam esse Minervam. Il. XIII. 223 οὔ τις ἀνὴρ νῦν γ' αἴτιος, ὅσσον ἔγωγε γιγνώσκω, nunc quidem vir nullus culpam fert, quoad ego res perspicio, quantum e rerum conditione concludere possum. Il. VIII 140 ἦ οὐ γιγνώσκεις ὅ τοι ἐκ Διὸς οὐχ ἕπετ' ἀλκή; an non intelligis, an te rerum non docet conditio? Il. V. 128 ὄφρ' εὖ γιγνώσκῃς ἠμὲν θεὸν ἠδὲ καὶ ἄνδρα, ut possis agnoscere sive quis deus sive homo sit. Etenim Minerva Diomedem exhortatur ut fortiter pugnare pergat. Sed quoniam ipsi dei tum pugnis intererant, suadet ei, ne quem deum deamve aggrediatur praeter Venerem, si forte in eam incidat. Quod ut fieri possit illeque homines et deos discernere ac dignoscere possit, se nubem oculis Diomedis obductam dempsisse confirmat; cf. Il. VI. 191, XVI. 362, XXIV. 563, Od. XVI. 136 γιγνώσκω, φρονέω· τάγε δὴ νοέοντι κελεύεις. Hoc in loco una intelligendi notio tribus quasi terminis distinguitur. Initium quasi vel inchoationem sciendi significat verbum γιγνώσκω, erkenne, quae dixisti mente assequor; deinde verbum φρονέω est, verba tua mente concepta et intellecta habeo; denique verbo νοέω is animi affectus ac voluntas notatur, quae e re aliqua cognita et perspecta nasci solet, (gesonnen, gewillt sein) cf. Il. XXIV. 560 νοέω δὲ καὶ αὐτὸς Ἕκτορά τοι λῦσαι, et ipsi mihi in animo est, Hectorem solvere. Illa dictio praeterea legitur in Od. XVII. 193. 281. Quamquam ex allatis locis actionis imperfectae et per singula momenta progredientis notio apparet, tamen per se quisque intelligit, quam facile potuerit illa in affinem „nosse“ kennen, transire. Neque nos ubique subtiliter distinguimus verba kennen, et erkennen. Et is, qui dicit se aliquem novisse, id eo pacto dicit, quod notas, quibus a quovis alio discerni potest, animo obversantes in eo omnes simul conspexit. Itaque γιγνώσκω

---

tionis indolem accurate significaret, novas corroborationes adhibitas fuisse. Atque hoc verborum, quae in σκω exeunt, reduplicatione praeditorum consideratione probatur, quae omnia iterativam vel validiorem saltem notionem prae se ferunt, ita ut, quum reduplicatio sola ad illam significandam jam non sufficere videretur, eam disertius etiam augmento σκ denotatam esse censeam.

nonnunquam per nosse vertendum est, ut Il. XXII, 356 ἦ σ' εὖ γιγνώσκων προτιόσσομαι, οὐδ' ἄρ' ἔμελλον πείσειν, te probe cognitum habens.

16 Τιτύσκομαι huc advocare non dubito, quamquam Buttmanni derivatio (ab aor. II. τετυκεῖν, in gramm. ampl. II. p. 237) probabilior esse videtur, quam quae (a τιταίνω) a Dunkano in Lex. commendatur. Licet enim e syllaba σκω littera κ jam ad radicem verbi referenda sit et Buttmannus propterea in gr. ampl. § 112 adn. 12 diversum hoc verbum esse ab iis affirmet, quae litteris σκ adaucta apparent, tamen nimis anxium et difficilem eum in hac re esse arbitror. Etenim illos, qui primi verborum formas fingebant, non certis rationibus firmisque legibus ubique, sed soli aurium affectui saepe obtemperasse, quum alia multa, tum hoc docet, quod etiam verbi διδάσκω, quod a δάω profectum est, futurum et aoristus non ab integra radice, ut assolet in ejusmodi verbis, sed tamquam a stirpe διδακ formantur, quod idem fit in verbo ἀλύσκω, quod e Buttmanni sententia ex ἀλεύομαι natum est; atque in verbo βόσκω futurum ita formatum videmus ac si esset forma aliqua βοσκέω. E quibus id certe efficitur errare eos, qui contendunt, tam considerate et prudenter in formis verborum fingendis Graecos egisse, ut ubique incrementa verborum ab integris stirpibus subtiliter consultoque distinguerent. Quum similem naturam et indolem simili forma reddere vellent et κ jam adesset in verbi stirpe, solius litterae σ insertio sufficiebat. Ac si cui levior haec ratio videatur, quidni e τετυκ vel τιτυκ adjectis litteris σκ τιτυκ-σκω factum et quum hoc intolerabile auribus esset τιτύσκω inde ortum esse putare liceat[1])? Simile quid videmus in verbis, quae in δω exeunt, in quibus, quum in futuro syllaba σω adjicienda sit, propter ingratam consociationem litterarum δσ ubique δ ejicitur. His causis commotus satius duxi verbum τιτύσκομαι et verbum δειδίσκομαι, in quo eadem dubitatio moveri potest, hoc loco afferre, quam Buttmanni rationibus non prorsus sufficientibus obsequi. Verbum τιτύσκομαι duabus significationibus, quae eaedem in verbo τεύχω apparent, apud

---

[1]) Haec ratio etiam Mehlhornio probatur, qui l. l. § 62 fin. haec habet: „Endlich rein euphonisch ist auch noch die Ausstossung jeder Muta vor der Endung σκω. Nämlich aus den Stämmen ἰκ, ἀλυκ, τυχ, λακ, παθ + σκω wird ἴσκω, ἀλύσκω, τιτύσκω, λάσκω, πάσχω.“

Homerum reperitur; prior est struere, parare, quae in duobus locis deprehenditur, Jl. XXI, 342 Ἥφαιστος δὲ τιτύσκετο θεσπιδαὲς πῦρ, Hephaestus ignem accendit; sed non solum accendit, verum antea ligna apparavit, iisque commode structis flammam admovit. Similiter usurpata forma τετυκέσθαι exstat in Od. XXI, 428 νῦν δ'ὥρη, καὶ δόρπον 'Αχαιοῖσιν τετυκέσθαι. Jl. VIII, 41 ὑπ' ὄχεσφι τιτύσκετο χαλκόποδ' ἵππω currui junxit equos. Altera significatio cognata est cum notione verbi τυγχάνω, quae est tangere (treffen). Notat enim τιτύσκομαι, tendere, dirigere ad aliquam rem (treffen wollen, zielen)[1]). In universum de eo dicitur, qui cum studio quodam et alacritate aliquam rem tangere et sagittis aliisve jaculis ferire conatur, quod ut efficiat, jaculum ipsum accuratissime dirigere scopumque oculis quam firmisse eum tenere oportet. Jl. XIII, 159 Μηριόνης δ'αὐτοῖο τιτύσκετο δουρὶ φαεινῷ καὶ βάλεν, οὐδ'ἀφάμαρτε, hastae emissio uno momento fit, antea vero scopus iterum iterumque quasi tentatur, donec rectissima est inventa directio. Cf. XIII, 370, XXI, 582. Jl. III, 80 τῷ δ'ἐπετοξάζοντο-ἰοῖσίν τε τιτυσκόμενοι λάεσσί τ'ἔβαλλον, in eum Achivi jacula conjiciebant et sagittis eum tentantes et lapides emittentes. Jl. XI, 350, Od. XXII, 117 τόφρα μνηστήρων ἕνα γ'αἰεὶ ᾧ ἐνὶ οἴκῳ βάλλε τιτυσκόμενος, unum semper e procis sagitta accurate directa percutiebat. Ab hac jaculorum accurata et studiosa directione verbum τιτύσκομαι et ad alius cujusvis rei faciendae acre studium consiliumque animo volutatum translatum est, ut Jl. XIII, 558. τιτύσκετο δὲ φρεσὶν ᾗσιν ἤ τευ ἀκοντίσσαι ἠὲ σχεδὸν ὁρμηθῆναι, mente autem sua vehementer id volutabat, ut aliquem hasta feriret etc. Simili ratione de navibus dictum est in Od. VIII, 556 ὄφρα σε τῇ πέμπωσι τιτυσκόμεναι φρεσὶ νῆες, ut illuc te naves studio alacri seduloque properantes deducant.

17. Δειδίσκομαι. De derivatione cf. Buttm. l. l. II, 102, adn. 2 et quae ipse de hac re in pag. antecedente exposui. Proprie est ostendere, praebere sive manum sive poculum, eoque aliquem salutare, sive dextra praebita sive poculo oblato. In universum adhibetur, quum quis hospitem aliquem praecipuo quodam amore

[1]) Buttmannus l. l. II, p. 237 de hac re haec habet: τιτύσκεσθαί τινος, worauf zielen, verhält sich zu τυχεῖν τινός treffen, wie ἀποδιδράσκει „er entläuft", (von dem, der noch eingeholt werden kann) zu ἀπέδρα „er entkam", wie captare zu capere u. d. gl.

et mansuetudine recipit laetitiamque suam amicis familiaribusque verbis prodit. Od. III, 41. ἐν δ' οἶνον ἔχευεν χρυσείῳ δέπαϊ· δειδισκόμενος δὲ προσηύδα Παλλάδ' 'Αθηναίην, in aureum scyphum vinum infudit, offerensque eum ita Minervam allocutus est. Quod Dunkan. in Lex. sub δειδίσκομαι hunc locum ita interpretatur „et manum dextram applicans dextrae ejus" mihi non probatur. Primum enim verba ipsa poculum a Pisistrato, Nestoris filio, Minervae oblatum esse verisimile faciunt, deinde etiam paulo ante idem ille utriusque et Telemachi et Minervae dextram apprehendisse perhibetur, v. 36. πρῶτος Νεστορίδης Πεισίστρατος ἐγγύθεν ἐλθὼν ἀμφοτέρων ἕλε χεῖρα καὶ ἵδρυσεν παρὰ δαιτί. Hac peracta salutatione poculum vino implet et Minervae utpote aetate provectiori offert, verbisque nonnullis additis in manibus ejus ponit, v. 51. ὣς εἰπὼν ἐν χερσὶ τίθει δέπας ἡδέος οἴνου. — Od. XVIII, 121 καὶ δέπαϊ χρυσέῳ δειδίσκετο, φώνησέν τε quod Dunc. vertit „aureo ex poculo propinabat ei manu dextra data"; sed simpliciter mihi esse videtur: propinabat ei, quod fit plerumque motu poculi versus aliquem facto, quo simul benevolentiam animumque propensum significare volumus. Od. XV, 150 οἶνον ἔχων ἐν χειρὶ μελίφρονα δεξιτερῆφιν, χρυσέῳ ἐν δέπαϊ, ὄφρα λείψαντε κιοίτην· στῆ δ'ἵππων προπάροιθε, δεδισκόμενος δὲ προσηύδα. Huic loco optime convenit significatio ostendere, porrigere. Menelaus enim poculum manu dextra tenebat et verba, quae sequuntur, adjiciens poculum iis propinans porrigebat, ut ipse Telemachus et Nestoris filius libantes biberent et tum decederent.

18. Μιμνήσκω est alicui aliquid in memoriam revoco, vel imaginem alicujus rei animo paulisper obliteratam renovo Activum semel legitur in Od. XIV, 169 ἄλλα παρὲξ μεμνώμεθα, μηδέ με τούτων μίμνησκε, ad alias res mentem advertamus neque harum rerum mihi revoces memoriam i. e. ne pergas illa commemorare. Vulgo forma media in usu est, quae significat sibi aliquid in memoriam revocare eaque firmiter tenere. Od. XV, 54. τοῦ γάρ τε ξεῖνος μιμνήσκεται ἤματα πάντα ἀνδρὸς ξεινοδόκου, ὅς κεν φιλότητα παράσχῃ, viri enim hospitis, qui amicitiam praestiterit, hospes nunquam non recordatur. Jl. XXII, 268 παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο, omnis fortitudinis memor sis i. e. omnis, quae in te est, fortitudinis memoriam sedulo studioseque revoca eamque firmissime retine, vel fortitudinem, quae in te est, omnem nunc

adhibe et praesta. Verbum μιμνήσκεο bene concinit notione sua cum adjectivo παντοίης. Jl. XIII, 722 οὐδέ τι χάρμης Τρῶες μιμνήσκοντο, non diutius ad pugnandum Trojani animum advertebant.

19. Διδάσκω ab radice δάω, δαίω, dividere discernere, disponere, notionis suae indolem et conditionem bene habet forma sua declaratam. Vulgarem enim notionem docere, si accurate expendimus, optime convenientem habemus illi, quae est radicis δάω, δαίω. Quo enim alio modo aliquem docemus, quam eo, ut rem in suas partes distribuamus singulasque illustremus; atque ita discipulum singulas quasque partes deinceps perspicientem ad totius rei cognitionem perducimus. Quum igitur in universa docendi conditione vices animadvertuntur et successus quidam, tum etiam singulae res iterum iterumque repetendae nonnunquam et ab hac et illa parte sunt a magistro explanandae. Od. I. 384 Τηλέμαχ', ἦ μάλα δή σε διδάσκουσιν θεοὶ αὐτοὶ ὑψαγόρην τ' ἔμεναι etc. Telemache, profecto dii ipsi te docent oratorem vel concionatorem esse. Jl. IX, 442. τοὔνεκά με προέηκε, διδασκέμεναι τάδε πάντα, μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων, propterea pater me misit, ut in his omnibus rebus te erudirem etc.

20. Κικλήσκω plerumque iteratam vocandi actionem designat et tum potissimum adhibetur, quum nomen alicujus personae vel rei refertur, quo non semel illa sed semper et ab unoquoque fere nuncupatur. Od. IV, 355 νῆσος ἔπειτά τις ἔστι — Φάρον δέ ἑ κικλήσκουσι, vocant autem eam Pharum. Od. IX, 366 Οὖτις ἔμοιγ' ὄνομα· Οὖτιν δέ με κικλήσκουσι μήτηρ ἠδὲ πατὴρ ἠδ' ἄλλοι πάντες ἑταῖροι cf. Jl. IX 562 ubi eodem plane modo forma καλέεσκον adhibita est. Od. XV, 402 νῆσός τις Συρίη κικλήσκεται, est insula, quae Syria appellatur. In aliis locis iterata vocandi actio aliis etiam verbis certo definitur, ut Jl. IX, 11 κηρύκεσσι κελεύων κλήδην εἰς ἀγορὴν κικλήσκειν ἄνδρα ἕκαστον μηδὲ βοᾶν. Jl. X, 300 ἀλλ' ἅμυδις κικλήσκετο πάντας ἀρίστους. Jl. II. 404 κίκλησκεν δὲ γέροντας ἀριστῆας Παναχαιῶν, in sequentibus enumerat Homerus eos, qui ad convivium vocabantur. Denique κικλήσκω etiam tum adhibetur, quum quis deum vel mortuum sacra faciens invocat precibusve appellat supplicibus. Jl. XXIII, 221 ὁ δὲ πάννυχος ὠκὺς Ἀχιλλεὺς — οἶνον ἀφυσσόμενος χαμάδις χέε, δεῦε δὲ γαῖαν, ψυχὴν κικλήσκων Πατροκλῆος δειλοῖο. Describitur hoc loco, quomodo Achilles Patroclo mortuo per totam noctem funebres exsequias

fecerit et vis verbi κικλήσκω e tota loci conditione manifesta est. Jl. IX, 569 πόλλ' ἀχέουσ' ἠρᾶτο—κικλήσκουσ' Ἀΐδην καὶ ἐπαινὴν Περσεφόνειαν, multum precabatur invocans Hadem et Persephonen.

21. Πιφαύσκω cognatum cum φάσκω, quorum communis radix est φαω, in praesenti modo atque imperfecto ab Homero usurpatum proprie est illustrare, luculentum facere, quod saepissime accurata descriptione vel enarratione fit, ita ut crebro adhibeatur pro exponere, narrare, indicare, ostendere. Sic. Jl. X, 478 οὗτοι δέ τοι ἵπποι, οὓς νῶιν πίφαυσκε Δόλων, ὃν ἐπέφνομεν ἡμεῖς, quos nobis Dolon significabat i. e. describebat, cf. v. 435 seq. Od. XII. 165 ἤτοι ἐγὼ τὰ ἕκαστα λέγων ἑτάροισι πίφαυσκον, certe ego ista singula enumerans et proponens, nota sociis faciebam. Bene elucet notio e loco Od. XI, 442 μηδ' οἱ (γυναικὶ) μῦθον ἅπαντα πιφαυσκέμεν ὅν κ' εὖ εἰδῇς, ἀλλὰ τὸ μὲν φάσθαι τὸ δὲ καὶ κεκρυμμένον εἶναι, ne uxori totam rem aperi et ab omni parte claram fac, sed hoc quidem ei dicere potes, illud vero celari eam oportet. Jl. XVIII, 500 ὁ μὲν εὔχετο πάντ' ἀποδοῦναι, δήμῳ πιφαύσκων, ὁ δ' ἀναίνετο μηδὲν ἑλέσθαι, hic contendebat omnia tradidisse, ille quidquam sumpsisse negabat. Rixabantur autem coram populo, et quod uterque contendebat, id populo multis verbis et omni contentione persuadere studebat. Jl. XXI. 99. νήπιε, μή μοι ἄποινα πιφαύσκεο μηδ' ἀγόρευε, stulte, ne mihi liberationis pretia ostende et enumera neve loquere.

22. Φάσκω, quod, quum apud Homerum modo imperfectum exstet, proprie inter iterativa referendum est, sed quoniam apud alios scriptores et infinitivus et participium legitur et notione ita comparatum est, ut transitum a verbis in σκω desinentibus ad iterativa aptissime videatur facere posse, in horum verborum extrema serie collocare non dubitavi. „Φάσκω est idem, quod φημί: notat tamen maxime asseverationem certam et liquidam: et existimationem e certa ratione ductam.“ Dunk. in Lexic. Proprie est aliquid iterum iterumque dicere indeque accepit notionem contendendi, asseverandi. Jl. XIX, 297. οὐδὲ μὲν οὐδέ μ' ἔασκες-κλαίειν, ἀλλά μ' ἔφασκες Ἀχιλλῆος-ἄλοχον θήσειν, saepe dicebas, asseverabas me uxorem Achilli te daturum. Dicendi repetitio notatur in his locis: Od. X. 331. ὅν τέ μοι αἰεὶ φάσκεν ἐλεύσεσθαι-Ἀργειφόντης, Od. VIII. 565. XIII. 173. XII. 275. hymn. in Demet. 207 in Aphrod. 126. In enuntiato frequenta-

tivo positum est φάσκεν in Od. IV. 191. περὶ μέν σε βροτῶν πεπνυμένον εἶναι Νέστωρ φάσχ' ὁ γέρων, ὅτ' ἐπιμνησαίμεθα σεῖο, prudentem te esse Nestor affirmabat, quoties tui a nobis mentio facta esset. Confer praeterea Od. XI. 306. XIV. 321, XVII, 114, XIX, 191, XXIV, 75, 270. Ac quum verba non sint, nisi cogitata vocibus expressa, φάσκω saepe etiam adhibetur, quum quis opinionem vel consilium animo conceptum verbis pronuntiat, sic in Od. V, 135 ἠδὲ ἔφασκον θήσειν ἀθάνατον καὶ ἀγήραον ἤματα πάντα, dicebam saepe me immortalem eum reddituram, i. e. id consilii animo volutans mihi ipsi saepe dicebam etc. Ulyssi enim hoc consilium, postquam Calypso a Jove eum dimittere jussa est, demum aperuit, quod patet e versibus 205—220. Eandem rem Ulysses narrat VII. 255; cf. XXIII. 335. Jl. XIII. 100 δεινόν, ὃ οὔ ποτ' ἔγωγε τελευτήσεσθαι ἔφασκον, quod equidem nunquam putabam accidere posse Od. XXII. 35 οὔ μ'ἔτ' ἐφάσκεθ' ὑπότροπον οἴκαδ' ἱκέσθαι, me domum reversurum non arbitrabamini.

V.

E QUAESTIONE ANTECEDENTE SUMMA QUAEDAM COLLIGITUR.

Explicata verborum, quae in σκω exeunt, singulorum significatione, si quaerimus, quid omnium commune habendum sit, id dici posse videtur, eam omnium esse naturam et indolem, ut actionem per se longius tempus explentem contineant. Sed actionis diuturnitas non est continua quaedam vel iners atque immobilis, sed eam speciem praebet, ut res, quae agatur, aut pedetentim evolvi successuque quodam progredi aut aliis rebus simul faciendis contineri ac perfici videatur, ita ut ubique in actionibus vices quaedam ac momenta conspicua et varietates deprehendantur. Ac nonnulla verba, quae per se breves citoque perfectas actiones continent, meram iterationis significationem in plerisque locis prae se ferunt (θρώσκω, κικλήσκω). Quam verborum illorum notionem atque indolem quod nos non ubique statim animadvertimus atque sentimus, nostram ipsorum cogitandi et con-

siderandi rationem aliquanto diversam ab ea esse, quae fuit Homeri et hominum, qui primi verborum formas condiderunt, reputandum est. Illi enim, qui verba rerum actarum simillima fidissimaque simulacra esse volebant, rerum notiones non mente concipiebant, sed speciem imaginemque sensibus impressam apprime vocibus reddere studebant. Neque ita, ut nos facere consuevimus, e singularibus rerum manifestationibus communem quandam notionem quasi abstrahebant, sed singulas notas conspicuaque momenta, e quibus comprehensis communis actionis cujusdam notio efficitur, animo observantes habebant et verborum conformatione simul repraesentabant. Idcirco pleraque verba syllaba σκω terminata varietatem quasi imaginum, quas universae actionis notio complectitur, vel iterationem aliquam in ipso actionis circuitu positam continent. Si enim Homerus dicit γιγνώσκει simul modum significat, quo alicujus rei cognitio efficitur; si γηράσκει pronuntiat, non modo senectutis notionem percipimus; sed simul etiam singulorum senectutis indiciorum prodeuntium cogitatio excitatur; si vero θνήσκει eloquitur, quasi singulas in aliquo homine mortis manifestationes animadversas voce significat. Itaque verborum in σκω exeuntium notione simul involvi variam vel iteratam sensuum affectionem dicere licet. - Jam si actionum indolem, quae in hoc verborum genere litteris σκ indicatur, cum earum actionum natura, quae vulgo ab Homero formis iterativis expressa est, accuratius comparamus, nihil fere discriminis intercedere inter eas, atque idem esse in utroque verborum genere, litterarum σκ verborum stirpi adjectarum officium intelligimus. Nam forma μαχέσκετο poeta iteratam pugnandi animadversionem, verbo γήρασκε iteratam senectutis manifestationem designat, et verbo φιλέεσκε non significat aliquem nunc amasse nunc non amasse, sed obversantur poetae eae singulae res, quibus quis animum benevolum atque amicum declaravit, sicuti verbo γίγνωσκε e singulis quibusdam notis atque indiciis deducta cognitio notatur. Itaque vel ex hac comparatione elucet, ex una eademque cogitandi ratione duo illa verborum genera originem ducere, eandemque in utroque esse litterarum σκ significationem. Atque ita neque ea Buttmanni argumenta, quae ab externa iterativorum conditione petita sunt, neque id, quod a significatione verborum in σκω desinentium de-

sumptum est, quidquam impediunt, quominus utriusque verborum generis eandum indolem atque naturam esse persuasum habeamus. Quam opinionem usu atque significatione iterativorum diligenter accurateque excutiendis et perpendendis magis etiam probatum iri spero.

VI.

SIGNIFICATIO ITERATIVORUM IN UNIVERSUM INDICATA E SINGULIS LOCIS HOMERICIS ENUCLEATUR.

Superiore quaestione patefactum est, verbis, quae in σκω desinunt, subesse aliquam iterationis notionem, neque eam modo, quam nos saepe verbo „pflegen“ indicamus, sed etiam illam, quae in ipso alicujus verbi notionis complexu inesse potest, atque in eo versatur, quod actio quaedam plures quasi singulares actiones continet vel quod ejus notio e singulis quibusdam indiciis documentisque patefactis deducta ac derivata est. At haec duplex quasi species iterationis non diversa cogitandi ratione nititur, sed e nostrae linguae natura proficiscitur, priorem modo iterationem propriis voculis alteram vero nunquam significantis. Idcirco Buttmannus in plerisque quidem iterativis iterationis notionem, quae nostrae dicendi rationi consentanea est, reperit, satis vero multa ei repugnantia habuit. Qua re Thierschius commotus illis formis non modo iterationem verum etiam diuturnitatem vel majorem actionis vim notari opinabatur. Quod tamen vel ita pleraque iterativa frequentationis vel iterationis, quam vulgo dicimus, significationem prae se ferunt, id eo effici videtur, quod in aoristorum formis iterativis nulla praeter hanc locum habere potest. Etenim aoristi actionem aliquam ut factam aliquando et cito quasi praeterlapsam denotant; diuturnitatis autem vel iterationis[1]) vel omnino earum conditionum, quibus actio manifestatur vel disertius describitur, significatio ab iis abest. Jam quum in rerum natura et vita hominum multae res ita eveniant, ut per se quidem cito praetereant, eo autem, quod saepe accidant animo ac memoriae se firmius imprimant, Graeci augmentum, quod fit per litteras σκ, quod proprie praesenti et imperfecto aptum erat, etiam ad aoristos detulerunt, ita tamen, ut hi, aliena significatione accepta, non amplius aoristi quasi remaneant, sed in imperfectorum ordinem transponantur et cum augmento illo simul terminationem ον-ομην accipiant. Neque vero aoristi notio evanescit, sed cum imperfecti notione consociatur. Sed quoniam actionis perfectae et imperfectae, cito praeterlapsae et durantis notiones plane contrariae sunt, has nullo modo posse uno verbo conjungi liquet. At imperfectum etiam iteratam actionem denotat, et haec sola est significatio, quae cum aoristi notione consociari potest. Aoristorum igitur formae iterativae talem rem iteratam et repetitam exhibent, quae per se celeriter perfecta fuit aut certe memoriae se obiter impressit. — Jam quamquam eam indolem atque naturam, quae in verbis syllaba σκω terminatis inventa est, omnibus quoque iterativis subesse reor, tamen illa verba, quibus Thierschius diuturnitatem potius et majorem vim quam iterationem denotari arbitratur, e reliquorum verborum, in quibus iteratae actionis notio aperta est, numero eximenda et segreganda sunt, quo facilius inter se comparari et quanto quodque ab ea, quae in plerisque obtinet, significatione deflexerit, perspici possit. Atque ab hac verborum parte quaestionis initium facientes sedulo tenere debemus, omnes formas litteris σκ in fine stirpis adauctas vocibus quasi expressa simulacra earum imaginum esse, quae e rerum agendarum adspectu et manifestationibus sensibus receptae animo loquentis obversantur. Patuit autem e quaestione supra instituta, hoc esse litterarum σκ officium, ut variam vel iteratam sensuum affectionem rerum conditionibus procreatam singnificarent. Inter ea verba, a quibus ejusmodi significa-

---

[1]) Qua ratione aoristi in enuntiatis, quae vocantur, frequentativis ad tempus praesens spectantibus locum habere possint, demonstravit Dr. Ed. Wentzel in quaest. de praep. tmesi, quae apud Herod. invenitur, § 11 (Prog. gym. Opol. 1929). Cf. Rph. Kühner Gramm. gr. 442, 1. Bernhardy Wissenschaftl. Syntax d. griech. Sprache p. 380 seqq. Apud Latinos perfectum non raro hac significatione adhibetur; cf. Hor. Epist. I, 2, 48 „deduxit“; Satir. I, 9, 60 „dedit“; vide adnot. Orellii ad hh. ll.

tio plane abesse videri potest, principem locum obtinent formae ἔσκε et ναιετάασκε vel ναίεσκε[1]).

Vis et indoles verbi ἔσκε, quod apud Homerum in quadraginta locis legitur, nisi unus et alter me fugit, aliquantum apparebit e comparatione locorum, in quibus eadem fere res alio verbo notata est. Ejusmodi locus est in Od. XVIII. 5. Ἀρναῖος δ' ὄνομ' ἔσκε — Ἶρον δὲ νέοι κίκλησκον ἅπαντες. Duo nomina duobus modis indicata sunt. Alterum, quod justum ac legitimum erat, dictione ὄνομ' ἔσκε, alterum, quo juvenes per lasciviam utebantur, verbo κίκλησκον indicatur. Hoc quidem verbo iteratam ac frequentatam appellationem significari quisque intelligit; illis vero verbis res indicatur, quae illi homini ut proprium aliquid atque legitimum firmiter inhaerebat, atque hanc nominis conditionem aliquis forma ἔσκε disertius definiri dicat. At haec res non solius verbi ἔσκε forma iterativa, sed tota dictione ὄνομ' ἔσκε designatur neque minus illa sentiretur si vulgarem formam ἦεν Homerus adhibuisset. Formae ἔσκε alia ratio et eadem atque alteri verbo κίκλησκον cogitatio subest. Quoties enim juvenes illum appellarent, Irum vocabant; quoties vero parentes, cognati, familiares, omninoque alii quam juvenes eum vocarent, Arnaeum nuncupabant; e qua re iterum iterumque animadversa, hocce verum et justum ejus nomen esse, alterum vero per lasciviam ei tribui Homerus conclusit atque has conditiones diversis quidem dictionibus indicavit, propter id autem, quod utriusque nominis cognitio ex eadem animadversione orta est, in utroque enuntiato formam iterativam retinuit. Similis locus est in Jl. VI. 402. τόν ῥ' Ἕκτωρ καλέεσκε Σκαμάνδριον αὐτὰρ οἱ ἄλλοι Ἀστυάνακτα. Quamquam hic eadem est atque supra nominum conditio, tamen ea non diversis dictionibus indicatur, quum id nomen, quo Hector pater utebatur, neque vero alterum, quo reliqui Hectoris filium appellabant, verum ac genuinum ejus

---

[1]) Raph. Kühner in gramm. gr. § 442 adn. 4 horum verborum significationem his verbis indicat: An manchen Stellen fällt die durch die iterative Imperfektform ausgedrückte Bedeutung der Wiederholung mit der eigentlichen Bedeutung des Imperfekts zusammen, indem beide die Fortdauer einer Thätigkeit, welche auf eine andere in der Vergangenheit liegende Thätigkeit bezogen wird, bezeichnen, wie z. B. φιλέεσκεν, ναίεσκεν besonders ἔσκεν.

nomen fuisse facile quisque sentiat. — Simili ratione ac supra forma ἔσκε adhibita est in Jl. XIII. 695. ὁ μὲν νόθος υἱὸς Ὀϊλῆος θείοιο ἔσκε Μέδων, in quo loco verbo ἔσκε neque diu vel semper ac sine intermissione animo obversans sed iterum iterumque excitata et confirmata rei, quae notatur, cogitatio simulatur. Quamquam enim continuo et semper Medon Oilei filius erat, tamen hanc existimationem non poterat quisquam nisi ex ea re percipere, quod, quotiescunque Medontis originis ratio habebatur ac mentio fiebat, nihil reperiebatur, quo illum vere Oilei filium non esse probaretur. Ad hanc variis quasi et singulis quibusque occasionibus excitatam et probatam cogitationem, Medontem esse Oilei filium, forma verbi ἔσκε iterativa referenda est. Comparari potest locus, qui est in Jl. XV. 338. υἱὸς δὲ Σφήλοιο καλέσκετο, filius Spheli vocabatur, si non ab omnibus, at certe a plerisque. Neque tamen minus dubitare quis potest, num vere ille Spheli filius fuerit vel ab Homero habitus sit. Facilius, quam in hujuscemodi conditionibus significandis, vis et indoles formae ἔσκε in locis cognosci potest, qualis est in Jl. V. 536. ἐπεὶ θοὸς ἔσκε μετὰ πρώτοισι μάχεσθαι, quia celer erat ad pugnandum inter primos ac fortissimos, i. e. quia, quotiescunque occasio data erat, summam fortitudinem et virtutem praestiterat. Od. II. 59 οὐ γὰρ ἔπ' ἀνήρ, οἷος Ὀδυσσεὺς ἔσκεν, ἀρὴν ἀπὸ οἴκου ἀμῦναι, qualis Ulysses fuit, i. e. qualem se Ulysses praebebat. Od XVII. 308. κύων — εἰ δὴ καὶ ταχὺς ἔσκεν θέειν ἐπὶ εἴδεϊ τῷδε, num praeter pulchritudinem etiam velocitatis virtute praeditus fuerit. Jl. VI. 19. ὅς ῥα τόθ' ἵππων ἔσκεν ὑφηνίοχος, qui tunc aurigae munere fungebatur. Od. X. 304 ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, sermo autem est de herba μῶλυ, quam Hermes Ulyssi adversus Circae potiones magicas dedit. Radix ejus nigra fuit, i. e. tunc erat atque semper est, quoties aliquis eam adspiciat. Est enim in natura illius herbae positum, ut radicem nigram habeat. Jam ejusmodi virtutes alicujus proprias esse non cognoscimus nisi e speciminibus exemplisque variis temporibus editis. Od. XIV, 222 ἔργον δέ μοι οὐ φίλον ἔσκεν, οὐδ' οἰκωφελίη etc. Non diuturnitatem vel majorem vim forma ἔσκε notari ex eo, quod illi oppositum est, enuntiato: ἀλλά μοι αἰεὶ νῆες ἐπήρετμοι φίλαι ἦσαν, elucere videtur. — Indicata ratione reliqui loci omnes facile explicari poterunt. Confer Od. IV. 270, 689, IX. 508, XIV. 227,

XIX, 247, XX. 288, XXI. 94, 145, 283. Jl. III, 180, VII, 153, VIII, 224, XI, 6, XIII, 695, XIV, 124, XV, 147, 334, XVI, 225, 550, XVIII, 118, XX, 409, XXIV, 67, 258, 739. Etiam in verbo ναιετάασκε vel ναίεσκε forma iterativa habitationis externis ac fortuitis rebus motam et excitatam in mente cogitationem vel recordationem repraesentat. Jl. XVI. 719 Ἄσιος, ὃς Φρυγίῃ ναίεσκε ῥοῇς ἔπι Σαγγαρίοιο, Asius non diu vel semper in Phrygia habitasse verbo ναίεσκε perhibetur, sed cogitatio habitaculi iterum iterumque injecta redditur. Jl. II, 841 τῶν οἳ Λάρισαν ἐριβώλακα ναιετάασκον, e quibus alii Larissam incolebant. Jl. XI, 673 ὃς ἐν Ἤλιδι ναιετάασκεν, qui in Elide habitabat. Simili ratione adhibitum est ἔσκεν in Jl. VI, 153 ἔστι πόλις Ἐφύρη — ἔνθα δὲ Σίσυφος ἔσκεν. Cf. Jl. XVII, 308, Od. XV, 385, hymn. in Apol. 279, in Heph. 4. — Verbo φιλέεσκεν Homerus non amorem significat, qui fortasse perpetuo viget in pectore reconditus, sed eum, qui se cebris benevolentiae documentis atque indiciis prodit. Jl. III, 388 μάλιστα δέ μιν φιλέεσκεν, i. e. magnum amorem luculentis ac frequentibus documentis et pignoribus ei praestabat. Eadem ratio est verbi ἀτιμάζεσκε in Jl. IX, 450 τὴν αὐτὸς φιλέεσκεν, ἀτιμάζεσκε δ'ἄκοιτιν, in meretricem crebro amoris et benevolentiae suae, in uxorem vero multa contemptionis testimonia edebat. Cf. Jl. VI, 15, Od. XVII, 257, I, 263, 425, VII, 171. Eadem indole praeditum est verbum τιέσκετο in Jl. IV. 46 τάων μοι περὶ κῆρι τιέσκετο Ἴλιος ἱρή, e quibus plurimi faciebam Ilium. Cf. Jl. XII. 461 Od. XXIII, 65. Ἀριστεύεσκε in Jl. VI, 460 ὃς ἀριστεύεσκε μάχεσθαι Τρώων ἱπποδάμων, qui se inter Trojanos fortissimum pugnatorem praestabat, scilicet, quoties occasio data esset. Confer sis Jl. XI. 627, 746, XVI 292 551, XVII 351. Ἔασκεν, Jl. II. 833 οὐδὲ οὓς παῖδας ἔασκεν στείχειν ἐς πόλεμον, neque filiis suis in bellum proficisci unquam permittebat. Fuit autem hoc firmum et immobile patris consilium, qui divinabat eos, si ivissent, interfectum iri. Hoc autem consilium manifestabat denegando semper, quum filii proficiscendi veniam ab eo postularent. Cf. Jl. XIX, 295, XX, 408, XXIV, 17, V, 802, XI, 125, Od XXII. 427. Ἐθέλεσκε, Jl. IX, 353 ὄφρα δ'ἐγὼ μετ' Ἀχαιοῖσιν πολέμιζον, οὐκ ἐθέλεσκε μάχην ἀπὸ τείχεος ὀρνύμεν, quamdiu ego inter Achivos pugnabam, tamdiu nunquam illum subibat voluntas etc. Cf. Jl. IX, 486. Χαίρεσκον, Jl. XVIII, 259

χαίρεσκον γὰρ ἔγωγε θοῇς ἐπὶ νηυσὶν ἰαύων gaudii manifestatio notatur verbo ἰαύων. Πελέσκεο, Jl. XXII, 433 ὅ μοι νύκτας τε καὶ ἦμαρ εὐχωλὴ κατ' ἄστυ πελέσκεο, patet ratio formae iterativae e verbis νύκτας τε καὶ ἦμαρ. Κήδεσκον Od. XXIII, 9 μνηστῆρας δ'ἔκτεινεν — οἵ τε οἱ οἶκον κήδεσκον καὶ κτήματ' ἔδον, βιόωντό τε παῖδα, qui domui labem atque infamiam intulerant. Verbo κήδεσκον omnia comprehenduntur, quaecunque proci nefanda et turpia in domo Ulyssis per longum tempus patraverant, e quibus diserte duas significat injurias: κτήματ' ἔδον, βιόωντο δὲ παῖδα. Πεδάασκον, Od. XXIII. 353 αὐτὰρ ἐμὲ Ζεὺς ἄλγεσι καὶ θεοὶ ἄλλοι ἱέμενον πεδάασκον ἐμῆς ἀπὸ πατρίδος αἴης, Jupiter et alii dii me magnopere cupientem a patria retinebant, i. e. quotiescunque reditum parare conabar, Jupiter laboribus obstaculisque oppositis conatus vanos reddebat. — Videmus haec verba magis magisque ei iterationis notioni, quam vulgo intelligimus, appropinquare; atque etiam alios locos sat multos laudare poteram, in quibus diuturnitatem quis adjecto adverbio αἰεὶ significari opinetur; sed hac vocula modo continuam et brevibus intervallis conspicuam iterationem Homerus significavit. Idcirco eos ei verborum generi, de quo deinceps agemus, adnumerare satius mihi visum est.

Transimus ad ejusmodi verba consideranda in quibus iterationis, quae vulgo dicitur, notio addubitari nequit et e locorum universa conditione a verborum constructione intelligi et explorari potest. Significantur autem his verbis vel consuetudo quaedam ac mos vel munus et officium, vel talis actio, quae, quamquam non in consuetudinem abiit, tamen est ab aliquo interdum facta et frequentata.

Consuetudo vel mos describitur in Jl. V. 788 ὄφρα μὲν ἐς πόλεμον πωλέσκετο δῖος Ἀχιλλεύς, οὐδέ ποτε Τρῶες πρὸ πυλάων Δαρδανιάων οἴχνεσκον, quamdiu Achilles pugnis interesse solebat, tamdiu nunquam Trojani ultra moenia longius progrediebantur. Eadem est ratio loci Jl. I, 490, ubi pristina Achillis, qui Agamemnoni iratus ab armis cessabat, consuetudo et simul id, quod tunc prioris consuetudinis loco faciebat, bene verbis iterativis notatur: οὔτε ποτ' εἰς ἀγορὴν πωλέσκετο κυδιάνειραν, οὔτε ποτ' ἐς πόλεμον, ἀλλὰ φθινύθεσκε φίλον κῆρ, αὖθι μένων, ποθέεσκε δ'αὐτήν τε πτόλεμόν τε. — Sic Od. XI. 240 Tyro fluminis Enipei

amore capta ἐπ' Ἐνιπῆος πωλέσκετο καλὰ ῥέεθρα, et Jl. XV, 640 Κοπρῆος φίλον υἱόν, ὃς Εὐρυσθῆος ἄνακτος ἀγγελίης οἴχνεσκε βίῃ Ἡρακληείῃ, qui nuntius Eurysthei ad Herculem ire consueverat. Jl. II, 221 Thersitis Achillem Ulyssemque conviciandi mos describitur: ἔχθιστος δ' Ἀχιλῆι μάλιστ' ἦν ἠδ' Ὀδυσῆι· τὼ γὰρ νεικείεσκε, maxime Achilli atque Ulyssi invisus erat; hos enim conviciis increpare solebat. Paulo infra (224) de singulari objurgatione dictum est νείκεε. Cf. Jl. XIX, 86. — Si arma, quae quis gerere, vel robur et animi fortidudo, quam quis praestare consueverat, indicantur, saepissime ab Homero formae iterativae adhibitae sunt: φορέεσκε, in Jl. XXIII, 372 οὐδ' ἤρκεσε θώρηξ χάλκεος, ὃν φορέεσκε, quem tunc gerebat et semper gerere solebat; cf. ibid. 398 et 407, XXI, 31, XV, 646, Od. XXII, 185. Jl. II, 770, φορέεσκον de equis dictum, quibus Achilles vehi solebat. Verbum φέρεσκεν in Od IX, 429 exstat, atque iteratam quidem actionem notat, sed non idem consuetudinem. Narrat enim ibi Ulysses, quemadmodum in antro Polyphemi ternas oves colligaverit, et medius quisque hoedus unum e sociis suis ex antro deportaverit: σύντρεις αἰνύμενος· ὁ μὲν ἐν μέσῳ ἄνδρα φέρεσκεν. Licet ex hoc discrimine simul observare, quam subtiliter Homerus in illis locis, in quibus alicujus rei iteratio, quae vel in consuetudinem abierit, intelligenda est, diuturnitatis notionem mutata stirpis vocali (φερ–φορ) notaverit. De qua re egregie disseruit Dr. Ed. Wentzel in quaest. d. dict. Homeric. fasc. II, p. 4 et 5. — Od. X, 108, ἡ μὲν ἄρ' ἐς κρήνην κατεβήσετο — Ἀρτακίην, ἔνθεν γὰρ ὕδωρ προτὶ ἄστυ φέρεσκον. Poterat in hoc loco poeta etiam verbo φορεῖν uti, quum consuetudinem aliquam indicaret, sed satis habuit dicere crebro e fonte Artacia aquam in urbem portatam esse; ex universa enim loci indole quisque illud vulgo factum esse facile sentit. Cf. hymn. in Apoll. 356, ubi φέρεσκε in enuntiato, quod vocatur, frequentativo legitur. — Ἔχεσκον in Jl. XIII. 257 τό νυ γὰρ (ἔγχος) κατεάξαμεν, ὃ πρὶν ἔχεσκον, quod antea habebam, vel gestare solebam; cf. Od. IV. 627, XVII, 169. Jl. V. 126 ἐν γάρ τοι στήθεσσι μένος πατρώιον ἧκα, οἷον ἔχεσκε-ἱππότα Τυδεύς, qualem (fortitudinem) Tydeus habebat et occasione oblata semper praestabat, cf. ibid. 472, XXII., 458 Od. VII, 99. Eadem res in Od. XXI. 283 verbo ἔσκε exhibetur: εἴ μοι ἔτ' ἐστὶν ἴς, οἵη πάρος ἔσκεν ἐνὶ γναμπτοῖσι μέλεσσιν. — Ῥήγνυσκε, in

Il. VII. 140 τὸν ἐπίκλησιν κορυνήτην κίκλησκον — οὕνεκ' ἄρ' οὐ τόξοισι μαχέσκετο δουρί τε μακρῷ, ἀλλὰ σιδηρείῃ κορύνῃ ῥήγνυσκε φάλαγγας, describitur pugnandi modus et consuetudo, e qua cognomen illud profectum est. Il. V. 857, ἐπέρεισε — νείατον ἐς κενεῶνα, ὅθι ζωννύσκετο μίτρην, ubi mitra cinctus erat, ubi mitra religata esse solebat. Il. IX. 331 Achilles Agamemnoni iratus Ulyssi narrat, quo modo ille se in praeda dispertienda gerere solitus sit: δώδεκα–πόλεις ἀλάπαξ' — τάων ἐκ πασέων κειμήλια πολλὰ καὶ ἐσθλὰ ἐξελόμην, καὶ πάντα φέρων Ἀγαμέμνονι δόσκον, ὁ δὲ-δεξάμενος διὰ παῦρα δασάσκετο. πολλὰ δ' ἔχεσκεν. Hoc loco aoristorum et imperfecti consociatio rerum, quae describuntur, conditioni eximie convenit; praedae enim brevis erat traditio atque etiam ejus divisione Agamemnon cito ac levissime perfungebatur, quia pauca tantum dispertiebatur; id vero, quo avida ejus ac vehemens avaritia perquam conspicua fiebat, quod firmissime in Achillis memoria haerebat, id, dico, quod sibi ipsi multa retinebat, aptissime imperfecti forma iterativa ἔχεσκεν ab Homero notatum est. Il. IX. 540 ἔρδεσκεν, facere salebat, cf. Od. XIII. 350, hymn. in Apol. 355, 303. Ῥέζεσκον, Il. VIII. 250, sacra facere consueverant; cf. Od. XXII. 46, 209, XVII, 211, Jl. XVI, 225, XVII, 409, ubi Homerus dicit, matrem Achilli Jovis consilia indicare antea fuisse solitam: ἥ οἱ ἀπαγέλλεσκε Διὸς — νόημα. Il. XVII. 461 ῥέα μὲν γὰρ φεύγεσκεν ὑπὲκ Τρώων ὀρυμαγδοῦ, ῥεῖα δ' ἐπαΐξασκε πολὺν καθ' ὅμιλον ὀπάζων, fugientis speciem bene reddit imperfectum φεύγεσκεν, impetus vero singuli cum vehementia et celeritate facti ad vivum fere aoristo significantur. Il. XIX. 42 μένεσκον, manere consueverant. Il. XX. 28 ὑποτρομέεσκον. XXI. 448 βουκολέεσκες, qui pascere solebas. XXII. 155 πλύνεσκον, ubi Trojanorum mulieres vestes lavare consueverant. XXII. 459 προθέεσκε, qui longe reliquos praecurrere solebat; cf. Od. XI, 515. — Il. XXIV. 454 θύρην δ' ἔχε μοῦνος ἐπιβλὴς εἰλάτινος, τὸν τρεῖς μὲν ἐπιρρήσσεσκον Ἀχαιοί, τρεῖς δ' ἀναοίγεσκον μεγάλην κληῖδα θυράων — Ἀχιλεὺς δ' ἄρ' ἐπιρρήσσεσκε καὶ οἶος. Describitur tentorium, quod Myrmidones Achilli exstruxerant, cujus januam unus obex continebat, qui a ternis Achivis obdebatur, itidem terni quoque magnum januarum repagulum revellebant; Achilles vero claudebat etiam solus. Il. XXIV. 472 ἵζεσκε, cf. Od. XVII. 331, III. 409. — Od. II. 104 describitur dolus, quo Pe-

nelope in veste texenda usa est: ἔνθα καὶ ἠματίη μὲν ὑφαίνεσκεν μέγαν ἱστόν, νύκτας δ' ἀλλύεσκεν, interdiu texebat, noctu vero ea, quae texuerat, resolvebat; cf. Od. XIX. 149, XXIV. 139. — Od. IV. 368 ἰχθυάασκον, piscari solebant; V. 84 δερκέσκετο, de Ulysse, qui in mare prospicere solebat, cf. vers. 158. — Od. V. 154 ἰαύεσκεν de eodem Ulysse; cf. Od. IX. 184. — Od. VI. 6 σινέσκοντο, de more Cyclopum; ibid. 95 ἀποπλύνεσκε de mari littus alluente; Od. VIII. 225 ἐρίζεσκον, 259 ἐυπρήσσεσκον, de canticorum judicibus; Od. IX. 188 ποιμαίνεσκον de Cyclopum communi consuetudine. Od. XI. 619 ὀχέεσκον, Hercules infortunium indicat, quo, quum sub sole degeret, cumulatus persaepe erat: ἦ τινὰ καὶ σὺ κακὸν μόρον ἡγηλάζεις, ὅνπερ ἐγὼν ὀχέεσκον ὑπ' αὐγὰς Ἠελίοιο, certe tu aliquod infortunium toleras, quod et ego aliquando tolerabam. Aptissime cum iterativo verbum ἡγηλάζεις consociatum est. — Βοσκέσκοντο Od. XII. 355 de solis gregibus, qui pasci solebant. Od. XIV. 17 μινύθεσκον, de procis greges in dies imminuentibus; Od. XVII. 294 ἀγίνεσκον, de juvenibus canem ad venatum ducentibus; Od. XVIII. 2, πτωχεύεσκε, de mendico, vers. 325 μισγέσκετο καὶ φιλέεσκεν de servae cujusdam prava consuetudine, cf. Od XX. 7. — Od. XIX. 229 θαυμάζεσκον admirari solebant. — XX. 3 ἱρεύεσκον. — XXII. 46 ῥέζεσκον, cf. v. 209. — In Od. XXIV. 209, Laertis domus describitur et vitae consuetudo: ἐν δὲ γυνὴ-γρηῦς πέλεν ἣ ῥα γέροντα ἐνδυκέως κομέεσκεν. Cf. hym. in Apol. 346, in Herm. 58, in Aphrod. 55, in Demet. 240 seq.

In multis locis agendi ratio vel consuetudo alicujus praeter verbi formam iterativam etiam totius loci comparatione verborumque constructione indicatur, quod eo potissimum fit enuntiatorum genere, quae vulgo enuntiata frequentativa, quae ad tempus praeteritum spectant [1]), nuncupantur. Referenda autem

---

[1]) Est enim et genus enuntiatorum frequentativorum, quod ad tempus praesens refertur, ita comparatum, ut in protasi conjunctivus cum conjunctione aliqua conditionali vel temporali plerumque cum ἄν composita, in apodosi praesens exstet vel aoristus. Indicant autem aliquid fieri, quandoquidem res protasi notata eveniat vel evenerit. Exemplum supra habumus, quod legitur in Od. XV. 409 ἀλλ' ὅτε γηράσκωσι πόλιν κάτα φῦλ' ἀνθρώπων ἀργυρότοξος Ἀπόλλων οἷς ἀγανοῖς βελέεσσιν ἐποιχόμενος κατέπεφνεν. Horum enuntiatorum indolem et constructionem exposuit Dr. Ed. Wentzel in diss. de praepos. tmesi, quae apud Herod. invenitur, § 10 seq. (Progr. gymn. Oppol. anni 1829.)

sunt inter enuntiationes conditionales, atque ita vulgo composita, ut e protasi optativo cum particula conditionali vel conjunctione temporali correlativa prolata et apodosi imperfecto pronuntiata constent. Pro particula conditionali εἰ etiam pronomen ὅς vel ὅστις poni potest. De variis harum enuntiationum formis nunc non quaero; vulgata et apud omnes scriptores tritissima ea est, quam dixi; plures infra, quum de usu iterativorum apud Herodotum disseretur, commemorabuntur. Communem autem omnium eam prae se ferunt indolem, ut actionem apodosi notatam semper (vel vulgo, plerumque, si quidem apodosi ἄν adjectum est) accidisse perhibeant, quando vel quotiescunque res protasi prolatae factae sint. In ejusmodi enuntiatis Homerus formas iterativas adhibere amat, ut verba actionum conditionibus presse conveniant. Quoniam in enuntiatis id genus nemo de actionum natura et indole ambigere potest, non qui ubique exstant, locos referam, sed nonnullos modo ipsis verbis afferre, plerosque autem versuum numeris indicare placet.

Il. II. 189 ὅν τινα μὲν βασιλῆα καὶ ἔξοχον ἄνδρα κιχείη, τὸν δ' ἀγανοῖς ἐπέεσσιν ἐρητύσασκε παραστάς, quemcunque (i. e. si quem) regem et virum egregium conveniebat, eum blandis gratisque verbis detinebat, et vers. 199 ὃν δ' αὖ δήμου ἄνδρα ἴδοι βοόωντά τ' ἐφεύροι, τὸν σκήπτρῳ ἐλάσασκεν, ὁμοκλήσασκέ τε μύθῳ, quemcunque vero virum de plebe videbat vociferantemque deprehendebat, eum sceptro feriebat increpitabatque verbis. — Insignis locus est in Il. III. 216, quo mos quidam corporisque habitus, quem Ulysses, quum in concione vociferaturus surgeret, prae se ferre solebat: ἀλλ' ὅτε δὴ πολύμητις ἀναΐξειεν Ὀδυσσεύς, στάσκεν, ὑπαὶ δὲ ἴδεσκε κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας, σκῆπτρον δ' οὔτ' ὀπίσω οὔτε προπρηνὲς ἐνώμα, ἀλλ' ἀστεμφὲς ἔχεσκεν. Similes loci sunt: in Il. IV. 233, 240, VIII. 270 seqq. XV. 23, 745, XVIII. 545 seqq. XXII. 197 ὁσσάκι δ' ὁρμήσειε – ἀντίον ἀΐξασθαι – τοσσάκι μιν προπάροιθεν ἀποστρέψασκε. cf. Od. XI. 586; Il. XXII. 503, Od. VII. 138; VIII. 88 seq. insignis locus, ubi venustissime Homerus Ulyssem depingit, qualem se praebebat, dum in consessu Phaeacum Demodocus res ab Achivis ante Trojam gestas canebat. Od. XI. 511, 515, 591 ubi Tantali, 597 ubi Sisyphi labores describuntur; Od. XII. 238 seq. XII. 330, XIV. 220, 521 ἐπὶ δὲ

χλαῖναν βάλεν αὐτῷ — ἥ οἱ παρεκέσκετ' ἀμοιβὰς ἕννυσθαι, ὅτε τις χειμὼν ἐκπάγλος ὄροιτο, injecit ei laenam, quae ad induendum alius vice parata jacebat, quando turbulenta tempestas oriretur, i. e. quae, quum vestis tempestate orta madefacta esset pluvia, ejus loco indui posset. Liceat hic simul locum Od. XXI. 41 commemorare, ἀλλ' αὐτοῦ μνῆμα ξείνοιο φίλοιο κέσκετ' ἐνὶ μεγάροισι, quem Thierschius in gram. §. 210, a, ita explicans: „der Bogen lag lange, verlag" falso interpretatus est. Nam et hic iterationis notionem loci conditio suppeditat. Antecedit enim τὸ δ'οὔποτε δῖος Ὀδυσσεὺς ἐρχόμενος πόλεμόνδε μελαινάων ἐπὶ νηῶν ᾑρεῖτο, et sequitur: φόρει δέ μιν ἧς ἐπὶ γαίης, quibus efficitur hic sensus: quotiescunque Ulysses in patria sua versabatur, arcum illum gestabat, quoties vero ad bellum exibat, in domo sua illum recondebat, et quoties redux factus esset, eum denuo protractum gerere solebat. Hanc vero agendi rationem propterea videtur observasse Ulysses, quod permagni arcum faciens (μνῆμα ξείνοιο φίλοιο) cavere volebat, ne, si quid sibi in bello grave atque infaustum accideret, ille simul perderetur. — Cf. Od, XVI, 140, XVII, 316, XXII, 315, XIII, 65. hymn. in Apoll. v. 356[1]),

Saepe formae iterativae reperiuntur in enuntiatis, quae connectuntur particulis ἄλλοτε μὲν — ἄλλοτε δὲ (bald—bald) ut in Od. XXIII, 95. Jl. XVIII. 159 Ἕκτωρ—ἄλλοτ' ἐπαΐξασκε κατὰ μόθον, ἄλλοτε δ'αὖτε στάσκε μέγα ἰάχων. Hector modo irruebat in turbam modo subsistebat. Cf. Jl. XVIII, 599 seq. XXIII, 369. XI, 566. Od. V, 331, Jl. XXIV, 752 seq.

In iis locis, quos hactenus consideravimus, actionem aliquam ab uno eodemque subjecto deinceps repetitam etiteratam formis iterativis describi vidimus, sed potest variatio vel frequentatio etiam eo modo effici, ut actio una inter plura subjecta distribuatur et ab unoquoque eodem tempore peragatur. Ejusmodi frequentatio vel actionis distributio notari videtur trita illa dictione: ὧδε δέ τις εἴπεσκεν. Τις in talibus enuntiatis collectivum sensum habet et verti potest per „hic ille, quispiam" atque eum sensum facile adipisci potest, quum omnino non certum quendam, sed quemcunque ex omnibus cogitare velis, significet. Ὧδε δέ

---

[1]) Ejusmodi enuntiata frequentativa, in quibus iterativa non exstant, reperiuntur in Thierschii gramm. § 222, 12, 6 et § 325, 6, a.

τις εἴπεσκε est igitur: dixit aliquis, sed vel hunc vel illum vel plures simul dixisse cogitare potes. Ac pronomine τίς plura subjecta contineri et indicari vel illud comprobat, quod nonnunquam aliud verbum sequitur in numero plurali positum, ut in Od. XXIII. 152 ὧς ἄρα τις εἴπεσκε· τὰ δ'οὐκ ἴσαν, ὡς ἐτέτυκτο, idem est in Od. IV, 172. Atque in Jl. II. 278, quum antecederet dictio ὧδε δέ τις εἴπεσκε et deinde verba ipsa sequerentur, non, ut assolet, illa dictio repetitur, sed ejus loco sequuntur verba: ὧς φάσαν ἡ πληθύς. Cf. Jl. III. 324, VII, 181, 206. Pro verbo εἴπεσκεν, quod frequentissimum est, nonnunquam alia quoque similia verba exhibentur, ut in Jl. XVII, 420 ὧς δέ τις αὖ Τρώων μεγαθύμων αὐδήσασκεν, interdum εἴπεσκεν cum alio verbo consociatum est, ut Jl. XVII, 423 ὧς ἄρα τις εἴπεσκε μένος δ'ὄρσασκεν ἑταίρου, Jl. XXII, 375 ὧς ἄρα τις εἴπεσκε καὶ οὐτήσασκε παραστάς. Eadem ratione etiam ἄλλος positum reperitur in Od. II, 331 ἄλλος δ'αὖτ' εἴπεσκε νέων ὑπερηνορεόντων, rursus alius quis dicebat; antecedit ὧδε δέ τις εἴπεσκεν, ita ut in universum sensus existat: alii illo, alii hoc modo loquebantur. Jl. XI, 636 ἄλλος μὲν μογέων ἀποκινήσασκε τραπέζης πλεῖον ἐόν, alius quis aegre poculum, quum impletum erat, e mense tollere poterat; Nestor vero senex facile tollebat; ἄλλος est quilibet alius, sive hic sive ille, omnino quilibet praeter Nestorem. — Ab his locis non alienus est, qui exstat in Jl. XIV 380 ἐσθλὰ μὲν ἐσθλὸς ἔδυνε, χέρηα δέ χείρονι δόσκεν, bonus quisque bona arma induebat, deteriori autem cuique pejora dabat. Huc etiam referri potest locus Od. XIII. 194, ubi narratur Ulyssi, quum Ithacam appulisset, omnia ignota et aliena visa esse, ἀλλοειδέα φαινέσκετο πάντα ἄνακτι. Enumerantur deinde singulae res, semitae, portus, rupes, arbores, quae per se quaeque ei adspicienti alienae visae sunt.

Supersunt sat multi loci, in quibus actionis repetitio e loci conditione vel per se patet, vel aliis notata est voculis adjectis, ut πολλὰ, πολλάκις, αἰεὶ, quod apud verba iterativa aliquid non semper ac sine intermissione factum, sed, quam fieri potest brevissimis intervallis per longum tempus frequentatum esse indicat. Il. VIII. 363 dicit Athene: ὅ οἱ πολλάκις μάλα υἱὸν τειρόμενον σώεσκον ὑπ' Εὐρυσθῆος ἀέθλων· ἤτοι ὁ μὲν κλαίεσκε πρὸς οὔρανον. Il. IX. 451 αἰὲν ἐμὲ λισσέσκετο. Od. XXII. 358, VII. 260. Il. XV. 723 οἵ μ' ἐθέλοντα μάχεσθαι — ἰσχανάασκον, qui me,

quoties pugnam ad naves proferre volebam, vehementer retinebant. Il. XVIII. 289 πάντες μυθέσκοντο, omnes dicebant, ac pro se quisque dicebat. Il. XXIV. 393, 755 πολλὰ ῥυστάζεσκεν, Od. III. 264 πολλὰ θέλγεσκεν, Od. V. 480 οὔτ' ὄμβρος περάασκε διαμπερές, neque imber penetrabat per arbustum usque ad terram, i. e. quandocunque pluebat, imber non penetrabat. Od. VIII. 374, 376 ῥίπτασκε, μεθέλεσκε. Il. XXIV. 607 ἰσάσκετο [1]) de Latona adhibitum, quae se Dianae parem faciebat. Hymn. in Aphrod. γόασκε. Egregius est locus, qui legitur in Il. XXIV. 10—17, ubi poeta venustissime adspectum Achillis describit, qui propter dilecti Patrocli mortem vehementissimo dolore et iracundia percussus variis rebus tentandis animi saevitiam atque exacerbationem prae se ferebat. —

VIII.

AUGMENTUM[2]) ITERATIVIS CONCEDENDUM AN DENEGANDUM SIT, QUAERITUR.

Enucleata iterativorum natura et significatione e singulis locis Homericis, reliquum est, ut e proposito nostro eorundem usum,

---

[1]) Derivandum hoc verbum est ab ἰσάω, sed haec forma nusquam exstat ejusque loco dicitur ἰσάζω. Verisimile igitur est, nisi quis formam ἰσάσκετο ex ἰσασάσκετο contractam esse putare velit, duas formas ἰσάω et ἰσάζω aliquando simul in usu fuisse, atque alterius formam praesentis obsolvisse quidem, sed in imperfecti forma iterativa ἰσάσκετο superstitem esse. Fortasse simili ratione etiam formae ῥίπτασκον, κρύπτασκον, ῥοίζασκε explicandae iisque formae ῥιπτάω (ῥιπτέω, ῥιπτάζω, ῥιπτάζεσκεν in hymn. in Mercur. 279) κρυπτάω, ῥοιζάω vindicandae, quae e vulgari usu expulsae in imperfectorum formis iterativis servatae sunt. Etiam apud Quint. Smyrm II. v. 6 legitur σκοπίασκον, quod non a vulgari forma σκοπιάζω sed a σκοπιάω derivandum est.

[2]) De vi atque origine augmenti probabiliter disseruit G. Curtius l. l. p. 125 seqq.

qui Herodoti est, consideremus. Quamquam enim vel illorum significationem diutino usu ac linguae provecta aetate aliqua ex parte variatam vel amplificatam vel coartatam esse et poetam alia ratione iis, quam historiarum scriptorem usum esse a vero non abhorret, tamen primam ac nativam illarum formarum indolem vel apud hunc scriptorem via ac ratione indagari posse consentaneum est. Quod antequam faciamus, quaestionem, num Homerus et Herodotus iterativis augmentum concesserint an prorsus denegaverint, instituere commodum videtur. Grammaticorum enim de hac intricata et difficili re nobis editorumque praecepta et sententias explorantibus dissensio, ambiguitas, inconstantia obviam fiunt. Veteres quidem grammatici omnes docent, formas augmento jonico instructas augmentum in initio non accipere. In Etymol. magn. de hac re haec leguntur sub voce ὁμοκλήσασκεν: λέγει δὲ ὁ Ἄμβρων, ὅτι, εἴ τι προσλαμβάνει ταῦτα κατὰ τὸ τέλος, ἀποβάλλει κατὰ τὴν ἀρχήν· – et sub voce εἴασκεν: – καὶ Ἰωνικῶς εἴασκεν, ἐκ τούτου ἔασκεν, ἀποβληθέντος τοῦ ι· τὰ γὰρ τοιαῦτα ἀποβάλλουσιν τὴν ἐν ἀρχαῖς κλιτικὴν ἔκτασιν. Sed haec non admodum severe stricteque esse praecepta sentimus, et videntur ii, qui legem istam constituerunt, eam ex eo, quod vulgo et plerumque factum esse videbant, deduxisse neque vero ipsi nusquam exstare hac lege exceptos locos persuasum habuisse[1]). Ac Phavorinus s. voce φράζεσκε, prorsus falsa, si quidem ejus sententiam recte assequor, docet, verbis barytonis augmentum denegans, reliquis vero concedens: Ἴωνες εἰώθασι χρηματίζειν τὰ τρίτα πρόσωπα τοῦ παρατατικοῦ καὶ τοῦ β' ἀορίστου ἐνεργητικοῦ ἀποβολῇ τῆς συλλαβικῆς αὐξήσεως καὶ προσθήκῃ τῆς σκε συλλαβῆς ἐν τοῖς βαρυτόνοις ῥήμασιν· ἐν τοῖς περισπωμένοις δὲ καὶ ἐν τοῖς εἰς-μι οὕτως· ἐβόα, ἐβόασκε συντολῇ τοῦ α, ἐποίει, ἐποίεσκε, ἐχρύσου, ἐχρύσοσκε etc., quae talia sunt, ut nos monere debeant ne nimis creduli veterum grammaticorum praeceptis obediamus. — Recentiores grammatici magis minusve veteribus obsequentes partim concedunt, partim denegant iterativis augmentum. Inter priores est Thierschius (gram. §. 210, 23) et Mathiaeus (§. 199); ab altera parte stat Buttmannus (gram. ampl. I. p. 392 adn. 2) qui veterum doctrinae admodum confisus

---

[1]) Eandem sententiam Mathiaeus in gram. gr. § 160 adnot i. protulit.

apud Homerum quidem propter metri necessitatem augmentum nunnunquam admissum patitur, in Herodoti vero historiis ubique sine augmento formas illas scribendas esse censet. — Prorsus ei assentitur Raph. Kühner in gram. gr. § 110, 2, adn. 1, qui in duobus modo locis Homericis Jl. XVII, 423, ὤρσασκεν et Od. XX. 7 ἐμισγέσκοντο augmentum ferendum esse statuit. — Apud Homerum quidem satis multi loci exstant, in quibus boni codices augmentum tuentur. Praeter formam εἴπεσκε et εἴασκον, quod in Od. XXI'. 427, Il. V. 803, XI. 125 legitur, cujus tamen et praesentis forma εἰάω ab Homero usurpata est, frequenter augmentum in verbo φάσκε abjectum non est (immo in tredecim locis exhibetur, in tribus modo abest). Praeterea est in Od. XX. 7 ἐμισγέσκοντο, Od. XIV. 521 παρεκέσκετο, Od. XII. 238 ἀνεμορμύρεσκε, Il. XI. 104 παρέβασκε in hymn. in Ap. 133 ἐβίβασκεν. In Jl. XVII. 423 codices variant; Wolfius e cod. Townley. recepit ὤρσασκεν, quod a Spitznero et Beckero et aliis denuo ejectum est; atque etiam in Jl. XXIV. 24 olim legebatur ὠτρύνεσκον, quod etiam Thierschio probatur, ab aliquot codicibus et Eustathio commendatum. In Jl. XIX. 135 Heynius e cod. Veneto, Townley. et Vaticano recepit formam ὤλεσκεν, Spitznerus e Vindd. aliis et Eustath. (τὸ δὲ ὀλέεσκεν πλεονασμὸν ἔχει τοῦ ε τοῦ ἐν τῇ παραληγούσῃ) accepit ὀλέεσκεν, Beckerus denique ὀλέκεσκεν assumpsit, quod, quum loci conditio imperfectum postulare videatur, Buttmannus in gr. ampl. II. p. 198 magnopere commendat. — Ac si quid juvat Apollonii Rhodii usum respicere, eadem apud eum variatio deprehenditur[1]), et in scholiis Parisinis ipsis forma ἀνεκλύζεσκε cum augmento exhibetur; conf. Schaef. adnot. ad eum locum (p. 175). Id certe constat Homerum in nonnullis locis augmentum formis iterativis adjecisse, neque eum hoc sola metri ratione fecisse, quum ἀνεμορμύρεσκε, παρεκέσκετο παρέβασκε non magis metro apta sint, quam ἀναμορμύρεσκε, παρακέσκετο, παράβασκε[2]).

Major etiam, quam apud Homerum, de hac re obtinet apud Herodotum dubitatio. Buttmannus l. l. ex eo, quod Herodotus nusquam augmentum syllabicum abjecerit, in plerisque vero iterativis non exhibuerit, concludit et eos locos, in quibus codices augmentum praebeant, sine eo esse scribendos. — Minus severe Mathiaeus judicat, et inter editores Schweighaeuserus, Gaisfordius, Schaeferus in nonnullis locis augmentum ferunt. Novissimus Herodoti editor G. Dindorfius (ed. Paris. apud Firmin Didot 1844) augmentum prorsus exstirpavit ejusque rei in commentatione de dialecto Herod. § 17, a, editioni illi praemissa rationem reddidit, mihi quidem non probatam. Summum enim pondus atque momentum in iis ponit, quae de hac re in Etym. magno praecipiuntur, et quoniam Herodotus ἐκπέμπεσκε scripserit, non potuisse ei in mentem venire eodem loco ἐσεπέμπεσκον scribere ratiocinatur. Vides quanta levitate ille in hac re egerit. Neque ex ea re, quod Herodotus augmentum syllabicum non adjecerit, satis intelligo, quo quis jure concludere possit, in formis iterativis quoque eum ubique augmentum respuisse. Quid, quod in plerisque augmentum non admisit, propterea in nullis eum admisisse censes? Potuit sane ita agere Herodotus, sed argumentum inde petere non ausim. Amant quidem Jones formas dilatatas et propterea forsitan augmentum quoque syllabicum non abjiciebant, sed quoniam formae iterativae per se sunt dilatatae et amplificatae, quidni propter id ipsum in iis a vulgari consuetudine ille nonnunquam deflexerit? Enimvero ejusmodi rationibus, quibus Dindorfius utitur, non videtur certum quidquam ac probabile constitui posse, quia tum omnia ex opinione nostra pendent, et id, quod non adeo spernendum erat[1]), codicum plane auctoritas negligitur. Quos si consulimus, in octo certe locis unus vel alter, vel una omnes augmentum praebent: I, 36 διαφθείρεσκε, Paris. quint.[2]) habet διεφθείρεσκε, ibidem: ποιέεσκον, Paris. quint. ἐποίεσκον. I, 100 ἐσεπέμπεσκον sine varietate in omni-

[1]) Conf. Wellaueri adn. a.l. Apoll. Rhod. Argon. I. 1074.

[2]) Confer sis de tota hac re Spitzneri observat. in Quint. Smyrn. Posthomeric. libr II. v. 5, 6 (p. 209).

[1]) Quam parvi Dindorfius codicum auctoritatem facere videatur, ex eo apparet, quod in comment. d. dial. Herod. p. III extr. professus est: — „moneremque (tirones) ut ab superstitiosa sibi caverent reverentia codicum, quorum auctoritate sola qui regi judicium suum patiuntur, perinde faciunt, ac si quis tesserarum jactu decernendum esse contendat, quibus quoque in loco vocabulorum formis usus esse putandus sit Herodotus.“ Sed in contrarium ipse vitium incidit, quum contempta codicum auctoritate soli opinioni suae ac veterum grammaticorum dubiis obtemperaret praeceptis.

[2]) Schweighaeuserus de hoc codice haec habet: — admodum recens; at quae Herodotea exhibet, ea e probatissimo vetere codice descripta sunt.“

bus legitur. I, 186 ἐπιτείνεσκε, Ald. exhibet ἐπετείνεσκε, III, 119 ὀδυρέσκετο, S. habet ὠδυρέσκετο. IV, 78 καταλείπεσκε, in F. a et al. legitur κατελίπεσκε. IV, 130 ἐλάβεσκον sine varietate. VII, 41 μετεκβαίνεσκε, in Paris. b. μετεβαίνεσκε.

Etiamsi in plerisque his augmentum sive negligentia et incuria librariorum sive emendandi aliquo studio in uno alterove codice ortum esse concedimus, tamen in verbis ἐσεπέμπεσκε et ἐλάβεσκον nullo modo adduci possum, ut omnibus repugnantibus codicibus augmentum exstirpandum esse censeam. Nam si incuria librariorum adjectum esset, nemo intelligeret quomodo in omnibus libris id pariter fieri potuisset, quum diversorum generum eos esse constet[1]); et cur in aliis locis, ubi iidem codices omnes consentiunt (ἐκπεμπέσκε I, 100, λάβεσκον, IV, 78,) in iisdem fere verbis, ne unus quidem lapsus esset librarius. Jam quod in tam paucis locis augmentum superest, id vel veterum grammaticorum praeceptis, quibus magis consuetudinem frequentem, quam legem nullis exceptionibus obnoxiam significari arbitror, et universo Herodoti dicendi generi convenit, qui, ut recte veteres doceant, nunquam Jones augmentum his formis addidisse, non adeo dialectum jonicam sectabatur, ut nusquam sibi paulum de ea permitteret deflectere[2]). Quae quum ita sint, facere non possum, quin ab iis dissentiam, qui spreta omnium codicum auctoritate, vel duobus illis verbis ἐσεπέμπεσκον et ἐλάβεσκον augmentum esse demendum censeant.

X.

ITERATIVA QUAM APUD HERODOTUM PRAE SE SIGNIFICATIONEM FERANT, E SINGULIS LOCIS DEMONSTRATUR.

Quoniam, quae apud Herodotum exstant, iterativa non adeo multa sunt, omnia in conspectu propono: ποιέεσκον I, 36, IV, 73,

[1]) Confer de hac re editionis Schweighaeuserianae accuratam insignemque recensionem in Diurn. litt. Jenens. anni 1817 mens. Septemb. (num. 161 p. 351) a viro in hac Universitate florentissimo Dr. Chr. Schneidero, ni fallor, editam. Et Dr. C. L. Struve: quaest. de dialecto Herod. spec. II, p. 2, 3.

[2]) Cf. recens. ed. Schweighaeus. in adn. antec. laudatam p. 352 „Endlich beweist die schon berührte Einmischung epischer Formen, die sich in

VII, 5, 119. ἐσεπέμπεσκον I, 100, ἄγεσκον I, 184, 196, ἐπιτείνεσκε I, 186, ἀπαιρέεσκον ibid. πωλέεσκε I, 196, ἔσκον vel ἔσκε I, 196 ter, IV, 29, 200 VI, 133, VII, 119 bis, IX. 40. ἄρδεσκε II, 13, III, 117. κλέπτεσκε II, 174, ἀποφεύγεσκε ibid. κλαίεσκε, ὀδυρέσκετο III, 119, σπείρεσκον, μένεσκον IV, 42, φεύγεσκον IV, 43, VII, 211, καταλείπεσκε, λάβεσκε IV, 78, ἐλάβεσκον IV, 130, τρέπεσκε IV, 128, ἠχέεσκε IV, 200, ἐθέλεσκον VI, 12, ἔρδεσκε VII, 33, μετεκβαίνεσκε VII, 41, πέμπεσκε VII, 106 bis, σιτεύεσκον VII, 119, ἔχεσκον VII, 119, ἀπελαύνεσκον ibid. βαλλέσκετο IX, 74, διαφθείρεσκε I, 36, χρηΐσκοντο III, 117. Pleraque horum verborum Herodotus in enuntiatis, quae frequentativa appellantur, adhibuit, in iis dico, quibus non unum ac simplex factum enarratur, sed quibus aliquid semper vel vulgo evenisse perhibetur, quoties aliud quid actum sit. Constant igitur e protasi et apodosi conjunctis, quae quibus variis modis ab Herodoto composita sint, non ad rem est, ut fusius nunc explicetur. Potest autem protasis aut indicativo, et quidem imperfecto vulgari vel jonica forma in σκον exeunte aut optativo, apodosis autem vel imperfecto simplici vel jonica ejus forma proferri; utrique haud raro particula ἄν adjicitur. Protasis vulgo inducitur particula conditionali εἰ vel pronomine ὅς, ὅστις, vel adverbio ὅκου, vel verbis ὅσοι, ὁκόσα vel particulis, quae ad optativum frequentes sunt, correlativis: ὅκως, ὁκότε, ὅκου, ὅκῃ, ὅτε. — Nonnunquam protasis non diserte indicata est, sed participio aliquo continetur.

Jam ipsum verbum ἔσκε, quod novies exstat, nusquam adhibitum est, nisi ubi e loci conditione facile iterativa significatio appareat. I, 196 ter legitur: ὅσοι μὲν δὴ ἔσκον εὐδαίμονες τῶν Βαβυλωνίων ἐπίγαμοι ὑπερβάλλοντες ἀλλήλους ἐξωνέοντο τὰς καλλιστευούσας, et deinceps: ὅσοι δὲ τοῦ δήμου ἔσκον ἐπίγαμοι, οὗτοι δὲ εἴδεος μὲν οὐδὲν ἐδέοντο χρηστοῦ, οἱ δ'ἂν χρήματά τε καὶ αἰσχίονας παρθένους ἐλάμβανον. Tertio denique loco legitur: μετὰ δέ, ὅκως αὕτη (εὐειδεστάτη) εὑροῦσα πολλὸν χρυσίον πρηθείη, ἄλλην ἀνεκήρυσσε, ἣ μετ' ἐκείνην ἔσκε εὐειδεστάτη. Describitur hoc toto capite mos Babyloniorum, qui in elocandis virginibus obtinebat; quae igitur res non semel facta est, sed quae quo-

andern Denkmälern jonischer Mundart so nicht findet, dass Herodotus nicht blos jonisch schreiben wollte, sondern sein Dialekt aus 3 Bestandtheilen, dem epischen, jonischen und gemeinen zusammengesetzt ist.

tannis et quoque in oppido institui solebat (cf. init. cap. κατὰ κώμας ἑκάστας ἅπαξ τοῦ ἔτεος ἑκάστου ἐποιέετο τάδε.) Simillimus est locus VI, 133, καὶ τῇ μάλιστα ἔσκε ἑκάστοτε ἐπίμαχον τοῦ τείχεος, τοῦτο ἅμα νυκτὶ ἐξήρετο διπλήσιον τοῦ ἀρχαίου, ut quaeque pars muri expugnatu facilior videbatur, ita eam ingruente nocte duplo alteriorem, quam antea erat, excitabant. Describitur, quibus modis Parii se adversus Miltiadis impetus defendere conati sint. IV, 129. ὅκως ἀκούσειαν οἱ ἵπποι τῶν ὄνων τῆς φωνῆς, ἐταράσσοντό τε ὑποστρεφόμενοι καὶ ἐν θώματι ἔσκον ὀρθὰ ἱστάντες τὰ ὦτα, quoties equi asinorum vocem audiebant, consternati avertebantur et mirabundi aures erectas habebant. IV, 200 τὰ μὲν δὴ ἄλλα ἔσκε κωφά, πρὸς τὰ[1]) προσῖσχε, κατὰ δὲ τὰ ὀρυσσόμενα ἠχέεσκε ὁ χαλκὸς τῆς ἀσπίδος, jam alia loca, ubi illud admovebat, surda erant; qua parte vero erant cuniculi ibi sonum edebat aes scuti. Describitur, qua ratione vir quidam Barcaeus, qua parte cuniculi a Persis in urbem ducerentur, investigaverit. VII. 119 ὅκως δὲ ἀπίκοιτο ἡ στρατιή, σκηνὴ μὲν ἔσκε πεπηγυῖα ἑτοίμη ἐς τὴν αὐτὸς σταθμὸν ποιέσκετο Ξέρξης, ἡ δὲ ἄλλη στρατιὴ ἔσκε ὑπαίθριος, quoties adveniret exercitus, tabernaculum structum paratumque erat, quae mansio esset Xerxi ipsi: reliquus exercitus sub dio agebat. Superest locus IX. 40, in quo quum frequentativa significatio non aeque esset atque in illis locis aperta, tamen prorsus ignorari nequit: Πέρσαι τε καὶ Μῆδοι μάλα ἔσκον οἳ ἀπεδείκνυντο ἀρετάς. Describitur res a pluribus ac diversis subjectis acta: Persae et Medi abunde erant, qui egregia virtutis specimina edebant. Nec minus reliqua verba jonica forma praedita qua significatione ab Herodoto adhibita sint, e locorum ipsa conditione apparet. Etenim et haec in enuntiatis frequentativis plerumque reperiuntur: I, 186 ἐπιτείνεσκε δὲ ἐπ' αὐτήν, ὅκως μὲν ἡμέρη γένοιτο, ξύλα τετράγωνα, ἐπ' ὧν τὴν διάβασιν ἐποιεῦντο οἱ Βαβυλώνιοι, τὰς δὲ νύκτας τὰ ξύλα ταῦτα ἀπαίρεσκον; intendebat autem, quoties lux facta esset, super eum (pontem) ligna quadrata, quibus transibant Babylonii, noctu vero tollebantur haec ligna; ἄρδεσκε II, 13 ὅκως ἔλθοι ὁ ποταμὸς ἐπ' ὀκτὼ πήχεας τὸ ἐλάχιστον, ἄρδεσκε Αἴγυπτον τὴν ἔνερθε Μέμφιος, quoties ad octo minimum cubitos

[1]) Omnes codices consentiunt in scriptura ἅ. Dr. C. L. Struve quaest. de dial. Herod. spec. I, p. 37 etiam hoc loco τά ab Herodoto scriptum esse demonstravit, quod Dindorfio probatum est.

auctus esset (Nilus), irrigabat Aegyptum, quae infra Memphin est. Καταλείπεσκε, IV, 78 εὖτε ἀγάγοι τὴν στρατιὴν τὴν Σκυθέων ἐς τὸ Βορυσθενεϊτέων ἄστυ —, ἐς τούτους ὅκως ἔλθοι ὁ Σκύλης, τὴν μὲν στρατιὴν καταλείπεσκε ἐν τῷ προαστείῳ etc., quum Scytharum exercitum ad Borystheneitarum urbem duxisset, ad hos igitur quoties Scylas venisset, exercitum quidem in suburbio relinquebat etc. φεύγεσκον IV, 43, VII, 211; ἔχεσκε VI, 12; μετεκβαίνεσκε VII, 41; βαλλέσκετο IX, 74; ἐσάγεσκον, πωλέεσκε I, 196; ἀπελαύνεσκον VII, 119 ὡς δὲ δείπνου γίνοιτο ὥρη, οἱ μὲν δεκόμενοι ἔχεσκον πόνον — οἱ δὲ — τῇ ὑστεραίῃ ἀπελαύνεσκον.

Nonnunquam in hoc enuntiatorum genere in apodosi particula ἄν adjicitur. „Spectant autem, ut God. Hermanni[1]) verbis utar, ἄν et κεν ad ea, quae fortuita sunt, i. e. ex aliqua conditione pendent.“ Cum indicativo autem temporum praeteritorum conjunctum ἄν facit, ut rerum, quae indicativo ut vere ac certo factae proferuntur, effectio de certitudine sua aliquid amittat et e rebus fortuitis suspensa esse notetur, ita quidem, ut aliquid non semper, sed tum modo actum esse significetur, quum aliud quid, unde illud pendet, sive verbis ipsis indicatum, sive cogitationi auditoris relictum, factum sit. In enuntiatis frequentativis, ubi ἄν apodosi adjectum est, res apodosi indicata non utique toties acta esse contenditur, quoties alterum protasi notatum factum sit, sed tum, quum aliquid fortuitum ejus effectioni non obstiterit. In iis igitur idem fere ἄν significat, quod adverbiis plerumque, vulgo, fere indicatur[2]), quod vel his locis comprobari videtur: J. Caes. b. civ. III. 48. Ex hoc effectos panes, quum in colloquiis Pompejani famem nostris objectarent, vulgo in eos jaciebant, ut spem eorum minuerent. Id. b. civ. III. 37, paucis diebus interpositis noctu insidias equitum collocavit, quo in loco superioribus fere diebus nostri pabulari consueverant. —

Adjectum ad formas iterativas ἄν habes in his locis: II. 174 ὅκως δέ μιν ἐπιλείποι πίνοντά τε καὶ εὐπαθέοντα τὰ ἐπιτήδεα κλέπτεσκε ἂν περιιών, quum vero eum potantem voluptatibusque indulgentem necessaria deficerent, furto ea nonnunquam auferebat circumiens, i. e. auferebat, si quidem fieri poterat. IV. 42, ὅκως δὲ γίνοιτο φθινόπωρον προσίσχοντες ἂν σπείρεσκον τὴν γῆν,

[1]) God. Hermann. de partic. ἄν lib, I c. 3.
[2]) God. Hermannus de part. ἄν I, c. 7.

ἵνα ἑκάστοτε τῆς Λιβύης πλέοντες[1]) γινοίατο, καὶ μένεσκον τὸν ἄμητον, quum autumnus adveniret, naves ad terram fere appellebant, et quamcunque ad Libyae regionem tunc advenissent, in ea sementem faciebant et messem exspectabant. Ἂν participio προσίσχοντες subjectum non minus ad hoc quam ad verba σπείρεσκον et μένεσκον referendum est. IV, 78 αὐτὸς δὲ ὅκως ἔλθοι ἐς τὸ τεῖχος καὶ τὰς πύλας ἐγκληΐσειε, τὴν στολὴν ἀποθέμενος τὴν Σκυθικὴν λάβεσκε ἂν Ἑλληνίδα ἐσθῆτα, ipse vero quum urbem ingressus esset et portas clausisset, deposito Scythico cultu Graecum induebat vestitum i. e. si non semper, at certe plerumque induebat. —

Denique formae iterativae crebro in ejusmodi enuntiatis reperiuntur, in quibus repetitio quidem actionis inest, neque tamen protasis diserte addita est, sed participio aliquo contineri videtur. Neque enim ubique scriptores interdum causae vel conditionis nexum eo indicant, ut unam actionem alteri subjungant, sed singula facta enuntiatis coordinatis deinceps referunt, eorumque nexum lectori e rerum natura et indole colligendum permittunt. Nonnunquam ejusmodi enuntiata tria quatuorve particula δέ unum ad alterum alligantur, ut IV, 128 ἡ μὲν δὴ ἵππος τὴν ἵππον αἰεὶ τρέπεσκε ἡ τῶν Σκυθέων, οἱ δὲ τῶν Περσέων ἱππόται φεύγοντες ἐσέπιπτον ἐς τὸν πεζόν· ὁ δὲ πεζὸς ἂν ἐπεκούρεε· οἱ δὲ Σκύθαι ἐσαράξαντες τὴν ἵππον ὑπέστρεφον, τὸν πεζὸν φοβεόμενοι· unumquodque ex his enuntiatis causam fere vel conditionem continet, e qua ea, quae sequenti continetur, res prodibat vel pendebat, ita ut eae res, quae participiis proferuntur, etiam enuntiato aliquo subordinato (ὅκως c. optat.) exhiberi potuerint. — Huc pertinent hi loci: I, 36 ὁρμεώμενος δὲ οὗτος (ὗς) ἐκ τοῦ ὄρεος τούτου τὰ τῶν Μυσῶν ἔργα διαφθείρεσκε, πολλάκις δὲ οἱ Μυσοὶ ἐπ' αὐτὸν ἐξελθόντες ποιέεσκον μὲν οὐδὲν κακὸν ἔπασχον δὲ πρὸς αὐτοῦ, qui ex illo monte irruens Mysorum arva vastabat, contra quem saepe egressi Mysi nihil mali ei infligebant, sed male ab eo accipiebantur. I, 148 ἐς τὴν συλλεγόμενοι ἀπὸ τῶν πολίων Ἴωνες ἄγεσκον ὅρτην, quo convenientes e civitatibus Jones, pompam ducebant. VII, 33 ὃς καὶ ἐς τοῦ Πρωτεσίλεω τὸ ἱρὸν τὸ ἐς Ἐλαιοῦντα ἀγινεόμενος

[1]) Dindorfius ratione non admodum probabili ubique hujus verbi formam πλώειν edidit cf. ejus comm. d. dial. Herod, p. XLII v. πλώειν. — Codices praebent omnes hoc loco vulgarem formam πλέοντες

γυναῖκας ἀθέμιτα ἔργα ἔρδεσκε, qui praeter alia in templum etiam Protesilai, quod est Elaeuntem versus, ductis mulieribus nefanda patrare consueverat.

Atque etiam in hoc enuntiatorum genere nonnunquam ἄν exstat, ut III, 119 ἡ δὲ γυνὴ τοῦ Ἰνταφέρνεος φοιτέουσα ἐπὶ τὰς θύρας τοῦ βασιλέος κλαίεσκε ἂν καὶ ὀδυρέσκετο. Quum duo in uno enuntiato verba finita sunt, vulgo priori ἄν subjicitur, quia ejus vis facilius ab antecedente ad sequens transire, quam ab hoc ad prius mente retro quasi ferri potest; neque quum prius verbum in participium transponitur, ἄν ab eo removetur, sed et tum locum suum post participium retinet, ut IV, 42 προσίσχοντες ἂν σπείρεσκον καὶ μένεσκον. Neque vero certam habet ἄν ac stabilem sedem in enuntiatione; sed quum hoc sit ejus officium, ut totam sententiam incertam ex aliqua parte et fortuitis rebus obnoxiam reddat, ei potissimum voci subjici solet, in qua est aliquod praeminens momentum[1]). Id vero firmiter tenendum est, non eam modo vocem, ad quam ἄν adjectum est, sed totam sententiam ejus vi affici. Jam quum in qualibet sententia subjectum et praedicatum eas fere notiones contineant, in quibus plerumque gravissimum pondus insit, his quoque saepissime ἄν si non utrique at certe uni ex iis addi solet. II, 174 οἱ δ' ἄν μιν φάμενοι ἔχειν τὰ σφέτερα χρήματα ἀρνεύμενον ἄγεσκον ἐπὶ μαντήϊον, ὅκου ἑκάστοισι εἴη, jam qui adfirmabant eum habere pecuniam suam, hi eum, quum negaret, ad oraculum ducebant, quo quique utebantur. IV, 130 οἱ δ' ἂν Πέρσαι ἐπελθόντες ἐλάβεσκον τὰ πρόβατα καὶ λαβόντες ἐπήροντο ἂν τῷ πεποιημένῳ, Persae vulgo pecora aggrediebantur et capiebant et quum cepissent, facto exsultabant.

Supersunt pauci loci, in quibus non e forma enuntiati ipsius, sed e tota loci conditione significatio iterativa apparet. VII, 106 κατέλιπε Μασκάμην, τῷ μούνῳ Ξέρξης δῶρα πέμπεσκε, cui uni Xerxes mittere munera consueverat; sequitur enim deinceps: πέμπεσκε δὲ ἀνὰ πᾶν ἔτος. VII, 119 τοῦτο δὲ κτήνεα σιτεύεσκον ἐξευρίσκοντες τιμῆς τὰ κάλλιστα, simulque pecora saginabant pulchritudine et pretio exquisita. Describitur autem toto illo capite, quo cujusque urbis incolae modo Xerxem proficiscentem

[1]) Cf. God. Hermanni de part. ἄν IV. c. 7

exceperint, quaeque sint in ejus adventum adparare soliti. III, 117 οὗτος πρότερον μὲν ἄρδεσκε διαλελαμμένος πενταχοῦ τῶν εἰρημένων τὰς χώρας, διὰ διασφάγος ἀγόμενος ἑκάστης ἑκάστοισι, is fluvius prius in quinque alveos divisus, populorum, quos dixi, irrigabat agros, ad singulos populos per singulas montis fauces derivatus. Notata est distributio fluvii in quinque alveos forma verbi iterativa. Eodem loco: τὸν μὲν γὰρ χειμῶνα ὕει σφι ὁ θεὸς ὥσπερ καὶ τοῖσι ἄλλοισι ἀνθρώποισι, τοῦ δὲ θέρεος σπείροντες μελίνην καὶ σήσαμον χρηΐσκοντο τῷ ὕδατι, nam hieme quidem pluit apud eos sicut apud alios populos, at aestate, quum panicum et sesamum sererent, aqua illa utebantur. Significatur res, quae semper iis vel quaque aestate accidebat, antequam Persarum rex obstructis faucibus fluvium intercluderet.

XI.

TOTIUS QUAESTIONIS SUMMA PAUCIS COMPREHENSA.

Quae de formarum iterativarum natura et indole dicenda videbantur, dicta sunt. Neque in universum modo de hac re disputatum est, verum etiam singuli loci, neque solum, qui apud Homerum, sed etiam, qui apud Herodotum exstant, in examen vocati et excussi sunt. Demonstratum autem est, ut equidem arbitror, corroborationem illam jonicam et in verbis, quae in σκω desinunt et in verborum formis, quas proprie iterativas appellant, ejusdem esse naturae atque originis. Quod si verum est, eandem etiam subesse utrique verborum generi notionis indolem nemo infitiatur. Hanc vero communem significationem si tali definitione distinguere volumus, quae omnia utriusque generis verba et, qui ubique exstant, locos complectatur, quum non Thierschio tum ne Buttmanno quidem prorsus assentiendum est. Qui quum ad verum proxime accessisset, tamen notionem iterationis nimis angusto sensu accepit. Statuendum enim est, verborum formas litteris σκ in fine stirpis adauctas, tum esse

ab Homero adhibitas, quum sensuum affectus alicujus rei agendae externa specie et manifestatione procreatus non singularis quidam vel unicus, sed varius iteratusque esset notandus. Illa autem multifaria et iterata sensuum, quam dixi, affectio eadem est in verbis in σκ exeuntibus atque in formis, quas dicunt, iterativis. Verbo γηράσκειν singula indicia, quae in aliquo homine senectutem produnt, sensibus passim percepta indicantur; unum autem per se quodque senectutis cogitationem movet; γιγνώσκω significat cognitionem, quae ex alicujus rei singulis notis subinde hauritur. In his igitur iteratio in re ipsa agenda posita est et conspicua fit. Sensibus vero eandem et γήρασκε et φιλέεσκεν praebet speciem; prius enim est: signa senectutis in aliquo iterum iterumque conspicua erant, alterum: indicia amoris ab aliquo in temporis decursu passim vel frequenter edita animadvertebantur. Itaque utroque alicujus rei cogitatio iterum iterumque mota significatur. Quae quum ita sint, iterationis notio latiori quodam, quam vulgari et, quo Buttmannus eam accepit, sensu definienda est, neque solum ad totius et universae actionis repetitionem, sed etiam ad eam, quae in ipsius actionis complexu posita est et in ejus progressu et eventu cernitur, omnino ad speciem manifestationemque inter actionis decursum iterum iterumque praebitam referenda est. Hanc quasi iterationis speciem Buttmannus non simul amplexus, sed vulgari sensu iterationis notionem sumens, factum est, ut verba, quae diuturnam neque in plures singulares actiones separabilem actionem denotant, ut ἔσκε, φιλέεσκε, ναίεσκε, ἐλεαίρεσκον et simil. repugnantia legi a se prolatae haberet. Minus etiam Thierschii sententia probanda est. Pondus enim et vim et gravitatem et perseverationem actionum verbis alium in modum corroboratis, veluti ἰσχάνω, ἰσχανάω, ἐρυκάνω, ναιετάω vel producta stirpis littera vocali, ut in νωμάω, στρωφάω, πωτάομαι, τρωπάω et simil.[1]) notatam habemus, quae verba aut continuatam diuque perseverantem aut etiam frequentatam et quae generi cuidam universo communis est, aut, quae magna virium contentione efficienda est, actionem, continent. Ac verba, quae vulgo frequentativa ap-

---

[1]) Conf. Dr. Ed. Wentzel quaest. d. dict. Homeric. fasc. II, § 4 seq. (Progr. Glog. gymn. a. 1840.)

pellantur, syllaba ζω terminata, persaepe actionem cito velociterque repetitam notant, qua agentis fervor studiumqne et vehemens concitatio manifestatur, ut ῥιπτάζειν, ἀτιμάζειν et sim. — Jam si status agendique ratio, quae e consuetudine in naturam ferme convertit et alicui propria est perpetuoque inhaeret, si-significanda est, ab Homero verba, quae in αθω, εθω, υθω, οθω cadunt [1]), creberrime in usum vocata sunt. Itaque in universum verbis, et quae in ipso praesenti. et quae in imperfecto modo atque aoristo litteras σκ ad stirpem adjectas habent, significari licet dicere alicujus actionis progressum singulis momentis manifestum et conspicuum, vel distributionem in singulas partes actiunculasque, quae actionis universae notione continentur, vel unius ejusdemque simplicis rei iterationem, omnino repetitum iteratumque sensum affectum actionis alicujus eventu manifestationeque procreatum. — Jam quod corroboratio illa in imperfectis et aoristis potissimum adhibita est, id vel inde evenit, quod praecipue in rebus actis et praeteritis describendis utrumque opus Homeri versatur. Neque iteratio intervallis intermissionibusque distincta aeque facile potest in praesenti tempore atque in praeterito conspici. Atque etiam in sententiis generalibus et parabolis, quae tempore praesenti pronuntiantur, non res indicantur, quae eo tantum, quo auctor scribit, tempore, eveniunt, sed quae certa ac nota ratione semper vel vulgo usque ad hoc tempus factae sunt, et nunc fiunt, et posthac fient. — Itaque in iis maxime verbis, quorum notione variae vel iteratae actionis quasi comprehensae sunt, litterae σκ cum stirpe firmiter coaluerunt atque etiam in praesenti tempore exhibentur, in aliis autem, quoties iterata actio notanda erat, in imperfecto et aoristis appositae sunt. Atque ita id, quod ad omnia verba amplificata pertinet, Homero, prouti magis minusve accurate rei cujusque indolem significare ei placeret, liberum erat, simplici et tenui an corroborata quoque in loco verbi forma uti vellet, neque eum in hac re metri rationi interdum obtemperasse nego, sed quando amplificata verba adhibuit, ubique ea rei significandae apta et congrua deprehendes, si modo rerum ac loci conditionem diligenter considerateque examinaveris. — Jam si iterativorum usum,

[1]) Cf. Dr. Ed. Wentzel quaest. d. dict. Homeri. fasc. I p. 14, Oppol. 1836

qui apud Herodotum est, cum eo, quem Homerus praebet, comparamus, tanto parciorem arctioremque esse intelligimus, quanto poetae epici rerum describendarum ratio ab ea differt, qua historiarum scriptor in rebus enarrandis et exponendis ducitur. Ut enim ille animi summa vivacitate et vigore elatus res tamquam praesentes ac sensus ipsos ferientes proponit earumque adspectum et imaginem vel minutis lineolis vivisque coloribus distinguit et variam actorum cogitatorumque naturam aptis verborum et exquisitis formis, quam potest accuratissime significat, ita apud hunc mens in plerisque dominatur, neque animi tantopere, quam judicii potestas in rebus referendis viget; atque ut ille singularium actionum indolem et successum et speciem subtiliter discernit, ita hic communem magis notionem summumque quasi argumentum indicat atque nexum singularum rerum respicit et declarat. Idcirco multas res, quas Homerus propriis exquisitisque verborum formis ad vivum fere exprimit, simplicibus ille satis denotatas habet; neque etiam iterativis aliter utitur, quam quum insignis rerum et propria conditio flagitat, ut iterationis, quae illis continetur, notio diserte significetur neve ex universa solum loci cujusque natura lectori elicienda relinquatur. Itaque praecipuam ac paene unicam sedem iis in enuntiatis destinavit, quibus vel mos quidam vel instutum vel consuetudo vel ratio agendi per aliquod tempus frequentata describitur. Ejusmodi vero iterationem, quae ad plures res una notione comprehensas, vel ad singulas, quibus actio aliqua in lucem prodit, manifestationes referenda est, nunquam iterativis significavit. At quantocunque liberius Homerus illis formis quam Herodotus usus est, tamen quidquid discriminis est, non e diversa ac dispari quadam illarum natura et indole, sed ex utriusque ingenio et res describendi ratione non prorsus consimili ortum est.



THESES.

I. Thucydidi belli Pelloponnesiaci historiam scribere exordienti tantum priorem ejus belli partem (usque ad pacem Niciae) scribere propositum erat.

II. G. Dindorfius novissimus Herodoti editor nimio quodam dialecti jonicae restituendae studio ductus codicum non eam, quam par erat, rationem habuit.

III. Infinitivos in dictionibus ὡς εἰπεῖν, ὡς εἰκάσαι, ἐμοὶ δοκεῖν et simil. eadem ratione, quae subest accusativo τὴν ἐμὴν δόξαν, explicandos esse contendo.

IV. In Thucyd. libr. II, c. 62 προκεκτημένα legendum esse censeo.

V. In Caes. de bell. gall. libr. V, c. 19 fin. pro vulgari „— fames esset pertimescenda“ legendum esse arbitror: — fames esset timenda.

VI. In Horatii Satir. lib. II, sat. III v. 208 legendum esse statuo:
Qui species alias veri scelerisque tumultu
Permixtas capiet, commotus habebitur etc.



VITA.

Natus sum Augustus Stolpe fidei catholicae addictus, in oppidulo Silesiae inferioris, cui nomen Wartenberg, anno huj. saec. XXIII. a. d. VI Cal. Jan. patre Carolo, mercatore, matre Theresia, e gente Weineriana. In litterarum elementis usque ad aetatis meae undecimum annum in patria schola et domestica institutione eruditus, anno MDCCCXXXV in gymnasium Glogoviense cathol. deductus atque ab ejus directore Carolo Endero in quintum discipulorum ordinem receptus sum. Praeceptorum, qui ibi de me erudiendo optime sunt meriti, quum omnium tum VV. Jll. Seidelii, Minsbergii, Uhdolfii, Kaisleri memoriam grato animo colo. Plurimum vero me debere viro celeberrimo Dr. Eduardo Wentzelio, cujus sub auspiciis inde ab anno MDCCCXXXVIII gymnasium illud laetissime floret, libenter fateor, qui in me discipulum egregia benevolentia usus usque ad hunc diem studia mea consilio et facto adjuvare nunquam dubitavit. — Anno MDCCCXLIII maturitatis testimonio ornatus Vratislaviam me contuli, atque in civium academicorum numerum ab universitatis rectore, qui tunc erat, Regenbrechtio inscriptus studiis philologicis infirma valetudine nonnunquam interruptis quinquennium consumpsi, scholas imprimis VV. Ill. Schneideri, Ambroschii, Haasii, Kut-

zenii, Stenzelii, Branissii, Elvenichii, Roepellii frequentans. Praeterea mihi, unde maximum commodum percepi, virorum celeberrimorum Schneideri et Ambroschii fructuosissima institutione in seminario philologico per quinque semestria frui concessum fuit. His ac reliquis viris illustrissimis, quorum scholis interfui, gratias ago, quas debeo, maximas. —

